

2
6
289







ANDREÆ DVDITHI
DE HOREHOVIZA
Quondam Episcopi Quinque-ecclesiensis, Oratoris, & Consiliarii Cæsarei

ORATIONES

In Concil. Trident. habitæ.

APOLOGIA

Ad D. MAXIMIL. II. Imp.

COMMENTARIVS
PRO CONIVGII LIBERTATE.

CVM APPENDICE

Epistolarum DD. Impp. & PP. German. Orationum, ac scriptorum aliquot

de
Communione sub vtraque specie,
Connubio sacerdotum,
Ecclesiæ Reformatione.
Synodique Trident. potiss. Actionibus.

Quorum INDICEM à præfatione proxima pagella monstrat.

Nunc edita studio ac opera

D. QVIRINI REVTERI PALATINI, Professoris in Acad. Heidelberg.

cIↃ IↃc x.

OFFENBACHI,
Typis Conradi Nebenii, Impensis verò Arpoldi-Philippi Kopffii.

Ampliss. Nobiliss. ac Præstantiss.
VV. DD.

IACOBO BONGARSIO
HENRICI IV.
Regis Franciæ & Nauarræ ad PP. German. Legato & Oratori,

GEORG. MICH. LINGELSHEIMIO
FRIDERICI IV.
El. Palat. Consiliario intimo,

Dominis & fautoribus summa obseruantia perpetuo colendis

QVIRINVS REVTERVS
S. Th. D. & Professor in Academ. Heidelberg.
S. P.

EN vobis, Amplissimi Domini Fautores, aliquas lucubrationes Illustris Andreæ Dudithii, ex instructissimæ ipsius Bibliothecæ scriniis à me iam olim bona cum autoris gratia desumtas, ac è tenebris diuturnis vix tandem in lucem & aspectum hominum, auspiciis potissimùm vestris, prolatas, cum auctario tamē aliquot affinis materiæ tractatuum: Quod

munus etsi non plane meum, aut nouum, Vobis tamen offerre, dicare, consecrare non dubitaui, nec iniucundum fore, certo mihi persuasi. Fecit id tum præclara vestra de Dudithio existimatio, tum eximia in me beneuolentia, tum summa apud optimos quosque & eruditissimos viros autoritas

Quanti feceritis Andream Dudithium, & quam de illo semel conceptam opinionem teneatis, idoneus ego testis esse queam. Illum vt vidistis olim, illico amastis: imo priusquam vidistis, fama sola cognitum suspexistis, & ob insignes dotes, ingenii vim admirabilem, linguarum variarum peritiam, omnium disciplinarum scientiam exquisitam, eloquentiam summam, incredibilem comitatem, ac in eruditos beneuolentissimam propensionem aliasque virtutes, & amabiles mores, qui ad diligendum illum omnes bonos pellicere solebant: ob legationes denique plures ab illo magna cum industriæ fideique laude obitas, admirati estis, ac coluistis.

Sed defuncti quoque memoriam honorificam huc vsque conseruastis: nominis eius gloriam ab obliuione vindicari, fœtus ingenii illius, posthumos licet, edi foras, sæpe desiderastis: me quoque, qui cum illo vixissem aliquantisper, humanissimis verbis iam pridem appellastis, vt si quæ Dudithii penes me essent, ea non occultarem, sed Reipubl. communicarem. Idem ante plures annos à nonnullis claris & præstantibus viris, è quib. MARQVARDVM FREHERVM nostrum honoris causa nominare libet, rogatus, vsque distuli; quin etiam renui, propter nonnul-

las,

las, quas referre nil attinet, caussas, inprimis, quod iis, qui vel naturæ sanguinisq; vel necessitudinis propinquæ vinculis, vel officiis, aut beneficiis, quæ vir Opt. in literatos plurimos plurima contulit, illi deuincti, vel bibliotheca illius, libris optimis, tum veterum, tum recentiorum autorum in omni scientiarum genere, refertissima potiti essent, conueniret, nominis illius famam ac dignitatem tueri. Neq; putaram fore, vt nullus ex omnibus existeret, qui pietatis istud, officiique genus præstaret. Verum istis cessantibus, Vos, Optimi Maximique patroni, autoritate vestra, quam ego, sicuti debeo, maximi facio, me tergiuersantem, ac varietatem iudiciorum huius ætatis pertimescentem impulistis ad ista diuulganda, quæ cernitis, & ego hoc tempore cum fructu studiosorum veræ doctrinę legi posse existimo. Vestra sane cohortatio meum animum antea vacillantem expugnauit, Tua, Præstantiss. D. BONGARSI mellitissima epistola, iam ante biennium ad me humanissime scripta, me trepidantem confirmauit, qua petebas, vt ne quid Dudithianarum chartarum sinerem perire, vel latere penitus abditum. Tua, clarissime D. LINGELSHEIMI singularis cupiditas insignium monumentorum, vt ab egregiis quibusq; viris, sic & à Dudithio, qui doctrinam & ingenium tuum valde dilexit (quod ex ipso audiui sępius, ac probe recordor) relictorum, me quoque inflammauit, pręsertim cum intelligerem, illam à magnis pluribus viris, inprimis à celeberrimo nostri seculi historicorum principe, incitatam; qui DVDITHII ellogio misso, rogauit efficeres, vt illius epistolę ac fragmenta è latebris

 eruta

eruta colligerentur, nec diutius premerentur, sed in publicum emitterentur; quod istud non solum ad tāti viri gloriam, sed etiam ad publicam literariæ rei vtilitatem pertineret. Tantorum ego heroum desiderio nisi coner satisfacere, ferreus sim, atque ingratus etiam in vos, quorum beneuolentiæ, studii, fauoris in me non pauca nec obscura documenta dudum extitere, quę iure suo quandam obsequii promtissimi testificationem efflagitabant. Verū quia modo deest luculentior, hanc pro eximia vestra bonitate æquis animis accipite, & quę ad vos mitto scripta Dudithii, cetera quoque à me bono studio propter argumenti similitudinem in hoc volumen congesta, sereno vultu, benigna mente, in vestram tutelam recipite, grataque habete. Vobis enim, de Dudithio pręclare, de me vero honeste sentientibus, ista deberi, non immerito iudicaui.

Denique vestrum nomen paginis hisce propterea quoque pręscripsi, quod vos sublimi loco positi, gradum eum autoritatis atque dignitatis apud vniuersum literatorum chorum, summis vestris in Remp. meritis adepti estis, ac tenetis, vt si hęc opuscula grauissimo vestro iudicio placuerint, eadem omnium vere doctorum calculis approbatum iri sperem, atque sub nominis vestri clypeo Momorum censuras, ac tela liuoris, si quę forte maligna volabunt, mihi tuto liceat euitare. Neq; vereor offensam aut culpam, dum à luce & splendore vestro mihi decus ac pręsidium arcesso: Sic potius statuo, quum summis virtutibus, ac recondita doctrina in omni scientiarum genere, cum maxima humanitate coniuncta, bene de cunctis bonis

nis

nis merendi cupiditate, legationum etiam, ac rerum pro ſalute Reipubl. geſtarum gloria, mihi quidem ipſummet DVDITHIVM repræſentetis: Vos in hac quoq; parte quam ſimillimos illi futuros, vt quemadmodum is ſuperſtes me fauore & amore ſingulari complexus eſt: ita vos etiam me vobis deuotiſſimum veſtra gratia foueatis, ac iſtud meum qualecunque ſtudium in aſſerenda tum illius viri gloria, qui vos etiam amauit plurimum, tum vero ipſa veritate, probetis, & continua beneuolentiæ aura proſequamini. Ita vos ſoſpitet ęternus Deus Pater miſericordiæ, per & propter Filium ὁμοούσιον καὶ συναΐδιον, Dominum & Seruatorem noſtrum IESVM CHRISTVM ac Spiritus ſancti χαρίσμασι perfundat gratioſiſſime, ad ſui nominis gloriam & Eccleſiæ ac Reipubl. Chriſtianæ maximam vtilitatem.

Valete, fauete. Scrib. Heidelberg.
Prid. Kal. Decembr. Anno cIↄ. Iↄ. cIx

INDEX.

INDEX
TRACTATVVM HVIVS VOLVMINIS.

CAN-

CAN-

CANDIDO LECTORI
S. D.

Visum est paucis Te, Beneuole Lector, admonere, primum quidem editionem istorum opusculorum, boni publici, non ambitionis, non litis causa susceptam esse: volentibus iis, quorum autoritatẽ non aspernari, sed iussa capessere fas erat. Ex alienis scriptis aucupari famam, ineptum & puerile: cum aliis temere litigare, à Christianorum officio quam alienissimum ducimus. De rebus autem hoc volumine contentis iudicium sane liberum esto: nec autoritate hominum, quantumuis magnorum, sed argumentorum robore, rationumque veritate nitatur. De orne sic habeto.

Primo loco collocatæ sunt, quas Andreas Dudithius in Concilio Tridenti dixit orationes, autori quidem post improbatæ, lectu tamen dignæ, præsertim quæ de Calice S. Eucharistiæ laicis concedendo agit: absque qua reliqua forent obscuriora. Secundum locum tenent eiusdem ad MAXIMILIANVM II. Cæsarem, Excusatio de mutato vitæ statu: & Commentarius pro coniugio, cõtra legem impuri cœlibatus, Ecclesiasticis personis, ac omnibus clericis impositam. Sequuntur epistolæ ἀμοιβαῖαι Dudithii, & D. MAXIMILIANI II. Imperatoris, ac huius testimoniales literæ Dudithio tributæ. His subiunximus D. FERDINANDI Imperatoris aliquot epistolas ad Pontificem Romanum Pium IV. In quibus & Dudithii, & actionum Synodi Tridentinæ, de S. Calice, matrimonio, emendatione abusuum aulæ Pontificiæ, & totius Ecclesiæ Romanæ, mentio facta: tum etiam aliorum Principum, qui communionem sub vtraque specie (sicut vulgo loquuntur) coniugium sacerdotum, & Ecclesiæ reformationem à Concilio & Papa postularunt. Adiecimus eiusdem argumenti scripta nonnulla, partim antehac non edita, partim non ita vulgo nota: sed, vt opinamur, huic tempori valde accommodata: quæ fuerit operæ pretium cognoscere: quum idem hodie saxum voluatur, quod dudum: & executio con-

cilii Tridentini nimis importune adhuc vrgeatur: exercitium autem Religionis ex verbo Dei repurgatæ, multis Statibus & Prouinciis negetur: promissum etiam rescindatur. Itaque coronidis vice Rationes, ob quas Protestantes in Germania, & aliis Europæ regnis Synodi Tridentinæ diffinitiones Papales haud morentur, ex autoribus bonæ notæ collectas apposuimus: vt penes vtros stet veritas, ac causa potior, aut culpa diuturni Schismatis orbis Christiani, & ex eo manantium agmine multo calamitatum, hæreat, iudicare queas. Præmisimus autem curriculi vitæ Dudithii descriptionem, partim ex ipsiusmet sermonibus, verbis etiam, ac epistolis ad amicos, partim ex aliorum fide dignorum testimoniis concinnatam: atque clarissimorum aliquot virorum ellogiis, quæ illi iuueni, viro, seni, perhibuerunt, satis opinor confirmatam. Quæ quidem omnia, Lector amice, qua dantur, dextra suscipe, salueque valeque.

AN-

ANDR. DVDITHII S. CÆSAREÆ MAiest. FERDINANDI, MAXIMILIANI, RVDOLPHI, Impp. Consiliarii, & Oratoris &c. Vita

Descripta

à D. QVIRINO REVTERO, PROFESS. *Acad. Heidelberg.*

ANdreas Dudithius Sbardellatus ab Horehouiza, Pannonius, natus est Anno M.D. XXXIII. VI. Febr. illustri genere, paterno simul & materno, in Hungaria, gloria rerum bellicarum florenti. Ac pater quidẽ immaturo nimis fato in prœlio contra Christiani nominis hostes occubuit. Auunculũ habuit Augustinum de Sbardellat, Episcopum Vaciensem, virum omni laude, dignitate & auctoritate florentem, & in literis pariter ac militari scientia præstantissimũ, qui Strigoniensem etiam Archiepiscopatũ summa Cæsaris Ferdinandi, adeoq. Pontificis Romani gratia & volũtate, per aliquot annos feliciter administrauit: & quã esset Hungariæ patriæ suæ amãtissimus, ipso facto testatũ reliquit, dum pro aris & focis fortissime cõtra Turcas pugnando, magna cũ gloria vitam profudit. Ab hoc, in pueritia educatus est Dudithius, vna cum aliis propinquis, & popularib. adolescentibus generosis, quos Episcopus ille, partim ad togatæ, partim ad armatæ militiæ disciplinas instituendos curabat: in quib. etiam fuisse referebat ille, Stephanum Battorium, postea Regem Poloniæ electum. Ingenium & indolẽ Dudithii præclaram cum Auunculus perspiceret, eum ex patria, in qua Mars impius sęuiebat, Vratislauiam Metropolin Silesiorum, ceu ad portum tranquillum, & otio scholastico aptum misit, & amico cuidã, Caoonico Ecclesiæ cathedralis, ibidẽ tradidit: vbi ille literas humaniores cõtinuauit, & linguã Teutonicã feliciter addidicit. Hinc ætate nonnihil confirmata Viennam Austriæ sese contulit, & in aulam *Ferdinandi* Regis aliquantulum temporis consumpsit. Post in Italiam profectus est, & Patauii ac Venetiis cum aliorum summorum virorum, tum & *Paulli Manutii* familiaritate ac contubernio vsus, in eloquentiæ studiis eo progressus est, vt puritate Latinæ linguæ, & styli elegantia, ac eloquentia plerosq; omnes antecelleret, ac Ciceronianus haberetur ac diceretur: Quod etiam *Simlerus* in Epitome Bibliothecę Gesnerianæ testimonium illi postea perhibuit. Luculentius autem ipse Manutius: *Dudithius*, ait, nõ solum ꝓbitate, modestia, morum elegantia, omnib. denique animi bonis excellit, sed etiam paucorum annorũ studio, præstãtia videl. ingenii, quam ego semper amaui, consecutus est, vt exquisitã ac variã sermo illius eruditionẽ præ se ferat; scripta vero ad Ciceronianam eloquentiã sic accedant,

cedant, vt cum iis, qui suum nomen hac laude celebrarunt, qui pauci admodum sunt, conferri iure possit; æqualibus vero cunctis facile antecellat.

Post in Galliam transiit, ac Lutetiæ in Græcis literis vsus est Doctore præstantissimo *Angelo Caninio*, cuius dotes mirifice celebrauit gratus discipulus: Hebreæ quoque linguæ tyrocinia posuit sub eodem Caninio, & *Mercero*: quam tamen postea non admodum excoluit, quod angustis eam finibus contineri putaret. Ibidem etiam Philosophiæ sedulam operam nauauit: præter alios clarissimos viros *Franciscum Vicomercatum* audiuit, & affectatus est diligenter, cuius commentarios in Meteorologica Aristotelis minus latine scriptos, vti plerique Philosophorum stylo barbaro & phrasibus duris vsi sunt, Vicomercato cupiente & rogante, in elegantiorem stylum transfudit: qui typis editi sunt. Ipse quidem *Vicomercatus* præfatione in Aristotelis libros Acroamaticos, fatetur, se in stylo non diligentem aut accuratum: ne qui aliis commentariis plane barbaris, quorum numerus adhuc magnus, legendis assueuissent, à suis abhorrerent, & quod res nonnullæ in Philosophia (Vicomercati opinione) eleganter & diserte vix dici possent. Cum autem breui temporis spatio summam & linguarum & Philosophicarum disciplinarum cognitionem esset consecutus *Dudithius*, ad suos rediit, quorum suasu Iurisprudentiæ studium capessere cœpit: vt Reipub. in consiliis, & legationibus, quibus destinabatur, maiori vsui esset. Rediit itaque in Italiam, & celebres Iureconsultos audire cœpit, & in sui amorem clarissimos quosque v ros facile pellexit. Ac Manutio quidem adolescentem Dudithium, *Reginaldus Polus* Cardinalis, vir ob familiæ, doctrinæ, dignitatis splendorem summus, & à suis valde laudatus, accuratissime commendarat. *Manutius* autem illum insigni Iureconsulto Patauino Professori *Vido Pancirollo* postea summopere quoque commendauit, vt apparet ex Manutii Epist. l. 4. epl. 6. Dudithius (ait) antea Philosophiam, præsertim quæ de Græcis fontibus hauritur, & humanioris doctrinæ studia diligenter eximiaque cum laude coluit. I m cum in cognoscendo iure ciuili totus sit, ei peto reconditos tuæ scientiæ fontes aperias, & opes ingenii tui impertias, quas ille regum opibus præstantiores existimat. Hic enim Dudithius, iuuenis summo loco natus, dignus maioribus suis, Pannoniam, vt ego auguror, sua virtute aliquando Italiam faciet. *Hæc Manutius.*

Sed iam antea *Polus* Cardinalis, ad Benacum lacum, vbi secessum sibi delegerat, Dudithium in familiarissimum contubernium admiserat, in quo nullis locus, nisi, quos honestas morum & artes viris principibus dignæ exornarent: ait historicus *I. Mic. Brutus*. Cumque iuuenem istum diuinæ indolis ac spei & ad summum decus natum agnosceret, eum quoque sibi comitem itineris asciuit, quod ex Italia per Germaniam in Angliam, de voluntate Pontificis Romani & Reginæ Mariæ, post *Eduardi VI.* præstantissimi Regis excessum, regnum Anglicum adeptæ, instituit. In quo itinere Dudithius Germaniam & Belgii prouincias tum florentes perlustrauit, atque *Carolum V.* Imperatorem

Bruxel-

Bruxellis Brabantiæ ſalutauit. In Anglia vero tum nuptias *Mariæ* cum *Philippo* Hiſpaniarum Rege, tum vel maxime perſecutiones & immanitatem Pontificiorum in pios ſpectauit: ſed vt erat ingenio miti & manſueto, ſemper improbauit. Summorum ibi virorum, tum in aula, tum in Academiis, gratiam & fauorem ſibi conciliauit, etiam *Eliſabetham* principem, quæ quinquennio poſt Mariæ felicioribus auſpiciis ſucceſſit: ſed tum à ſorore cuſtodiæ tradita fuit, compellauit, quam eleganti Latino ſermone prudenter diſſeruiſſe prædicabat. In Anglia paulo ſupra annum commoratus, in patriam rediit: ibi honoribus Præpoſiti thermarum ſuperiorum Budenſium, & Canonicatu Strigonienſi auctus, ad munus Reipubl. gerendæ expetebatur: ſed impetrata à Cæſare Ferdinando & amicis venia, rediit in Italiam, & præter humaniora Philoſophiæque ſtudia, ius etiam ciuile, & hiſtorias maiori ſtudio eſt perſecutus. Actum quidem *Dionyſii Halicarnaſſei* de *Thucydidis* hiſtoria iudicium, vtilem ſane librū, & theſaurum quendam ex abditis tenebris erutum, latine loquentem, edidit & Reipubl. communicauit. Alios quoque eiusdem ſcriptoris libros de arte Rhetorica: tum & Longinum, ac Demetrium περὶ ἑρμηνείας: ac tres poſtremos Diodori Siculi, & Appiani Alexādrini de bello Romano contra Carthaginēſes, & geſtis Hannibalis, libros conuertere cœpit. Idem tentauit in vetuſtiſſimo quodam commentario Græco, in S Euangeliū Matthæi, quē illi ex auguſtiſſima ſua bibliotheca, ante ſeptingentos annos deſcriptum, *Michael Sophianus* Philoſophiæ peritiſſimus, Græcæ linguæ ſcientia plane ſingularis, cōmodarat. Sub id tēpus etiā R. Poli vitā deſcripſit, & edidit Venetiis, poſt adiit Principū, in primis Ducis Florentini, aulas: inde in Galliam profectus, Lutetiæ Pariſiorū Catharinam Mediceam reginam Italico ſermone tam eleganti affatus eſt, vt idiomatis notitiam in homine extero & natione (ſicuti vulgus putat) barbaro, cum ſtupore fuerit admirata. Galliæ regni florentiſſimi ſtatum, poſteaquam perſpexiſſet, & ſummorum virorum amicitiam facile impetraſſet, à ſuis reuocatus, & à vita contemplatiua ad practicam & ciuilem eſt traductus. Nam vbi Viennam Auſtriæ rediit, anno 1560. continuo in S Cæſareæ Maieſt. conſilium ſanctius eſt allectus, & Epiſcopus Tininienſis electus, in quo ita ſe geſſit, vt ad Concilium Tridentinum orator Imperatoris ac prælatorum & totius clerici Hungariæ mitteretur. Tridentum vbi veniſſet IX. Ianuarii Anno LXII. Orationes aliquot elegantiſſimas habuit ad Patres Concilii 8. Idus April. primam, qua functus eſt legatione, tanto cum omnium plauſu, vt omnium pectora ſui amore compleuerit. Alteram orationem pro calice Laicis impetrando habuit 16. Iunii eiusdem anni. Vtraque typis edita eſt, tū Venetiis, tum Pariſiis. Quas ſenior *Ioachimus Camerarius* Lipſiæ *Iohanni Prætorio*, Mathematico Profeſſori in Academia Norica celeberrimo oſtendens, præſcriptis aliis tum editis ſibi maxime placere aſſeuerauit, & illi vt ad Dudithiū ſe cōferret, à quo ad ſocietatem Mathematicorum ſtudiorum erat inuitatus, facilius perſuaſit. Dudithius vero qua fuerit apud Patres Concilii Tridentini dignitate, docet vel vnum hoc teſtimo-

ſtimonium, quod ei perhibuit *Petrus Fontidonius Segobienſis*, Theologiæ Doctor, Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Petri de Mendoza, Epiſcopi Salmantini comes ad Conciliũ, Hiſpanus, in epiſtola ad Archiepiſcopũ Strigonienſem Nicolaum Olaum, his verbis: Dudítii dulciſſima conſuetudine, ob ſingulare ipſius ingenium, candidiſſimum animum, incredibilem bonitatem, ſuauiſſimos mores, eloquentiam ſummam, & reliqua, quæ in eo maxime elucent virtutis & literarum ornamenta, & vtor frequentiſſime, & mirifice delector, cumq; in magna patrum corona, qui ſæpe ſalutandi gratia conueniunt, vt frequẽter in familiari colloquio ſolet accidere, quo in ſtatu res Vngarorum eſſent, commemorantẽ, & de bello, quod cũ Turcis gerunt, grauiter referentem, lubẽs audiui. Alias etiam in Synodi conſpectu, & clariſſimo totius orbis domicilio, diuina quadã eloquentia, voce & actione de rebus grauiſſimis diſſeruit, & in altera ſummã animi pietatem in patriam, & in ceteras Germaniæ prouincias indicauit, dum omnibus ingenii & eloquentiæ neruis impetrare contendit à ſancta Synodo, vt perditas nationes, ſi hac via fieri poſſet, vnius calicis, (cuius infinita quadam cupiditate teneri videntur) conceſſione, ad Eccleſiæ gremium & vnitatẽ reuocaret: qua in re, quanto ſententiarum pondere, quanto verborum ſplẽdore, quam ſuaui & ad miſericordiam procliui genere orationis vſus ſit, quantam inde laudẽ & admirationẽ reportauerit, ipſa, me tacẽte, teſtatur oratio: qua quidẽ, cum eam legeris, omnium commẽdationem duces inferiorẽ. In vtraq. vero ſic ſe extulit, & excelluit, vt mihi quidẽ & de amplitudine tua, de Vngaria vniuerſa, de toto ſacerdotũ ordine, ſic viſus fuerit bene meritus, vt meo non ſolũ, ſed omnium iudicio, & ſibi & patriæ ſummam gloriam attuliſſe videatur.

Ita de Dudithio ſcripſit Theologus Hiſpanus: nec diuerſum Epiſcopi ac Patres Concilii tunc ſenſerunt. Auctus inde honorib. ac Epiſcopatu Chanadiẽſi, tandem poſt mortẽ Georgii Draſcouitii Regis Hungariæ Oratoris in eodẽ concilio, etiam Quinq; Eccleſienſi, idque bona omniũ & inprimis Cæſaris *Ferdinãdi* gratia, fauore & gratulatione: Sigethi quidem ædificare, ſedem figere, vel, vt vulgo loquuntur, reſidere conſtituit: quo ſuas opes, ſuppellectilem, & κειμήλια transportarat: ſed à Turca Solymanno tum prouincia tota miſerabiliter vaſtata, Zigethum vi captum; ipſe vero facultatibus exutus & ſpoliatus fuit: quã iacturam ſæpe deplorauit. Iam qua ratione & occaſione vitæ genus mutarit, paucis exponã. Cum in Concilio Tridentino ex ſolius Pontificis Romani nutu omnia geri, & ab illo frequenter Epiſcopos ſummitti laruatos & ſubſidiarios, amplis cum mandatis, vt vel numero vincerent reliquos, melius edoctos ac ſentientes, perſpexiſſet, totam cauſam & actionem Concilii ſuſpectam habere cœpit, neq. liberum id, quale promiſſum eſſet, agnouit. Licet enim initio ſynagogam Romani Pontificis fortiter propugnauit, vt teſtantur illæ ipſæ, quas dixi, orationes ſane quam vehementes & acres, in quibus intemperanter in Lutherum Zvvinglium, Philippum Melanchthonem, Bullingerũ & alios debacchatur: tamen cauſam integram penitius ſcrutatus, & proceſſus illos accuratius

ratius

ratius contemplatus, atq; diuinæ veritatis ſtudio incitatus, induxit in animum libere dicere, quæ de Controuerſiis diligentiſſime cogitanti in mentem venerant. Itaque non ſolum pro Calice Laicis concedendo pugnauit tanta contentione, vt præter morem ea de re, de qua antea ſenatusconſultum factum erat, aliter ſtatueretur: Verũ etiam de ſacerdotibus non prohibendis coniugio diſſerere conſtituit; qua *παρρησία* Papam Pium IV. & qui ei ſucceſſit, Pium V. vehementer offendit. Itaque de eo tanquam Catone in Cyprum ablegando actum eſt, & clam apud Cæſarem Ferdinandum perfectum, vt Tridento reuocaretur. Vnde diſceſſit ad Cæſarem haud inuitus. Nã ex oratione typis edita, quam in concilio de reſtituenda altera S. Chriſti Cœnæ parte habuit, apparet, eum iã tum ad clariſſimum Euangelii lumen oculos attollere cœpiſſe. Poſt demandata illi fuit legatio ad Regem Poloniæ *Sigiſmundum Auguſtum*, qua ſemel atque iterum magna cum laude fideque optima perfunctus, à *Maximiliano* II. Cæſare tertia vice miſſus Orator, educta ad ipſum ſorore Regina Poloniæ, quam Sigiſmundus Auguſtus dimittebat, re diu multumque deliberata, nobiliſſimam virginem Reginam, ex familia Strazziorum, quæ à Filia Ferdinandi Cæſaris in Gynæceo à teneris ingenue fuerat educata, ſibi deſpondit, eique, matre conſentiẽte, fidẽ coniugii dedit: ac à Cæſare *Maximiliano* miſſione impetrata, reſignauit Epiſcopatum, & alia aulæ tam munia, quam præmia: & ad otium honeſtum & literarum ſtudia ſe ſe contulit: Cracouiæque ſedem fixit: atque teſtatus eſt, ſe ex Antichriſtianorum caſtris ad Eccleſias eas tranſiſſe, quæ Chriſti nomen ſine fuco & fallaciis profitentur. Sic Epiſcopatui, aliisque ſummis honoribus, diuitiis & dignitatum gradibus valedixit, & ingloriã priuatam, pauperem vitã, aulicæ, ſplendidæ & ſublimi illi lubens antepoſuit. Qua re diuulgata, quãta, Deus bone, fuit (Dudithii verba refero) concurſatio ſacrificulorum? quantę ſolicitudines? quantæ calumniæ? quanta conuitia? quod Epiſcopus vxorem ducere auſus fuiſſet. Aiebant aliqui, illum non petita miſsione, tanquã profugum, apud exteram nationem ſedem ſibi delegiſſe. Citationes vero acerbiſsimis perſcriptę verbis, & diræ in eum excommunicationes vibratæ: torquebantur & formidoloſa illa quondam ex Tarpeio monte, ſed Dei beneficio nunc admodum hebetata, nec niſi ſuperſtitioſis metuenda fulmina anathematis: quin à Pontifice Romano, vt hæreſæos reus, etiam ad ignem in figura, ſiue larua, damnabatur: quæ ille magno animo cõtemnebat. Hoc tamen ei moleſtum accidit, quod mitrati Patres, qui toro im̃aculato ſolẽt impurum ſcortorum cubile pręponere, ex amiciſsimis hoſtes ſe illi repẽte præbuerunt; neq. cõquieuerunt, donec quotidianis efflagitationib. à Cæſare literas quaſdam expreſſerunt, quib. ille factũ Dudithii nõnihil reprehendit. Itaq. ſui purgandi cauſa miſit Imperatori Apologiã, quam edimus: qua ſimul oſtẽdit, cur ſummis dignitatibus cum ipſo Epiſcopatu abdicatis, vxorem duxerit. Ac quoniam inſedit in animis multorum peruerſa quædam opinio, ſacris initiatos, diuino & humano iure, à coniugio repelli:

libel-

libellum adiunxit, quo Cæsari nihil se contra diuinam legem commisisse demonstrauit. *Maxilianus* autem Cæsar etsi factum hoc inopinatum, exemplique rari, minus gratum: ipsum tamen Dudithium odio propterea non habuit: sed gratiæ & clementiæ pristinæ signa plurima edidit: beneuole sæpenumero ad eum scripsit: liberaliter etiam angustias rei familiaris subleuauit, eum magnifecit: Principibus viris commendauit: annuum quoque & perhonorificum stipendium illi dependit. Nec enim optimus & sapientissimus Imperator fidelis sui subditi, & meritorum ipsius obliuisci potuit: in quo Patris *Ferdinandi* vestigiis institit. Hic enim, vt ex certis documentis constat, Dudithium vehementer amauit, adeo vt in eo laudando sibi vix satisfacere posse videretur: tantam de eius virtute opinionem in animo conceperat. Iam autem mortuo religiosissimo illo Cæsare, filio *Maximiliano* magni iudicii Principi & præclaro ingeniorum æstimatori, ita fidem, diligentiam ac in gerendis rebus industriam domi forisque probauit, vt ab hoc quoque magnam commendationem referret. Sæpenumero etiam post coniugium ab illo initum, ex Imperatoris ore eiusmodi voces exceptæ sunt, ex quibus & quanti eum perpetuo fecerit, & quantum sui desiderium ipsi reliquerit, facile cognosci poterat ab omnibus, qui in aula illa augustissima versabantur. Sed ipsa res quoque satis idem ostendit: qũ illum Cæsar Oratoris ac Internuncii perpetui apud Regem Poloniæ, Consiliariique sui intimi munere fungi voluerit nihilominus quam antea: quo quidem officio deinceps quoque summa cum fidei & industriæ laude functum esse, docent res, tempore interregni Polonici pro Illustrissimæ familiæ Austriacæ dignitate & commodis fideliter, etsi non, vt volebat, vouebat, feliciter susceptæ, gestæque. Nam mortuo *Sigismundo Augusto* Poloniæ rege, proceribus de nouo rege eligendo solicitis, & plerisque à Iohanne Monlucio Episcopo Valentino Regis Galliæ Caroli IX. eiusque fratris Henrici, tum Andegauensis Ducis, legato, in Gallicas partes inclinatis, Dudithius grauissime restitit, ac vt omissa gente Valesia Gallicaque, MAXIMILIANVM potius Cæsarem eiusue filium eligerent, summa animi contentione, plurimis & maximi ponderis argumentis adhibitis, orationibus & libellis etiam scriptis, hortatus ac molitus est. Idem magno conatu egit biennio post, cum *Henricus* Polonia relicta subito Galliam repetiisset: ac tum quidem MAXIMILIANO Cæsari, vel vni ex filiis, Regnum Poloniæ propemodum à dynastis pluribus impetrarat: sed eum diuturnior mora, & alia quædam impedimenta intercessissent, aduersa factio *Stephanum Battorium* Transsyluaniæ principem interim attraxit, qui regno citius opinione potitus est. Tum *Dudithius*, non satis à violentia tutus, excessit Polonia, summo quidem discrimine, reique familiaris dispendio: seque ad MAXIMILIANVM Cæsarem herum suum contulit, tanquam fidus Consiliarius illi, quantam omnino potuit operam in grauissimis Reipubl. negotiis tractandis sedulo nauauit: illum ad comitia Ratisponensia Anno LXXVI. de Imperatoris ipsius iussu ac volunrate, est prosecutus: sed

tus: sed

tus: sed in iis ipsis MAXIMILIANO II. pie mortuo, RVDOLPHO II. F. suis quoque consiliis præsens, absens, literis, præsto fuit ac vsui. Familiam autem suam in Morauia tum collocauit, in qua propter insignem virtutem ac gloriam, priuilegia Baronibus eius prouinciæ peculiaria facile consecutus est, ac oppidum Pascovv cum adiacentibus villis ære redemtum inhabitauit. In illo Pasconiano secessu totum se studiis tradidit, doctissimos quosque viros in idē contubernium inuitauit, & liberaliter habuit. Ibi postquam biennium substitisset, grauibus de causis, de domicilio mutando cogitare cœpit, & inclytam *Vratislauiam* Silesiæ Metropolin, sedem delegit, in qua reliquam ætatem in otio cum dignitate transigeret. In eā commigrauit sub finem An. M. D. LXXIX. summo desiderio & studio ciuitatis exceptus, vbi vitam optatam, quietam, innocentem, ab omni strepitu & ambitione alienam egit, studiis sacris omniūque disciplinarum ac scientiarum, lectioni librorum variorum, inprimis autē Noui Testamenti cum annotationibus Theodori Bezæ maioribus, & Hieronymi Zanchii, Zachariæ Vrsini, Antonii Sadeelis, aliorumque clarorum Theologorum scriptis, antemeridianis horis, eo quo cum ipso vixi tempore, scriptionibus quoque plurimis valde deditus. In vita placidus, affabilis, officiosus, perbenignus, in pauperes liberalis: amicis, quos in ista Republ. plurimos habuit, iucundissimus, summis illis viris, Rhedigeris, Monauiis, Schillingis, in primis Archiatro Cæsareo *Iohanni Cratoni*: *Nicolao Rhediger à Strisa*, tum atque etiamnum illustri Vratislauiæ, adeoque totius Silesiæ sideri, clarissimisq; aliis eruditione viris, quibus illa pręclara ciuitas abundat, quorum omnium nomina recensere longum foret, quotidiana vitæ consuetudine, suauissimaque familiaritate coniunctissimus: ac quod boni viri proprium, de omnibus, in primis autem doctis viris, quorum colloquiis & disputationibus vt plurimum delectabatur, bene merendi cupidissimus. Hoc eius otium tamen interturbarunt nonnihil, cum alia quædam, tum & noui motus in Polonia, post mortē Regis Stephani, M. D. LXXXVI. oborti de noui regis electione: in quo actu ipse quoque à Cæsare RVDOLPHO & fratribus accitus, Austriacas partes acriter & fortiter tutatus est: eoque nomine non parua incommoda ab aduersantibus perpessus. His turbis expeditis, ad Musas suas rediit; & cum vires boni senis paulatim languescerent, ad longum illud iter, quod omnibus semel ineundum, collectis sarcinis se accinxit, & tandem obiit XXIII. Febr. Anno LXXXIX. Mortem ipsum præsagiisse & prædixisse ferunt, præsentibus magnificis viris, his verbis: *finis meus appropinquat*: ac ante finem in conuiuium quoddam Philosophicum ab illis attractum, de aliis quoque sacris & politicis rebus pie & sapienter disseruisse: tandem vbi terminum appropinquare sensit, hæc verba tribus vicibus effatum: *Ah Domine Iesu Christe, serua me*: & sic manibus bene compositis placidissime absque vlla commotione expirasse, ac animam ipsam efflasse tam leniter, vt dormientis speciem vultus eius ac totus corporis habitus referret. Quod in templo primario D. Elisabethæ sacro, Vratislauiæ sine pompa conditum fuit.

Coniuges habuit duas: Ex prima, de qua supradictum, suscepit duos filios & vnam filiam: ex altera, eaque vidua Comitis à Tarnovv, plures. Fuit hæc Sborouia gente: quæ familia apud Polonos nobilissima & amplissima, multos præstantes gloria viros protulit: proximis superioribus annis hos vxoris Dudithii fratres, *Petrum*, Palatinum & præfectum Cracouiensem, summæ autoritatis, vsque ad Annum M. D. XXC. quo mortuus est: *Iohannem*, Castellanum Gnesnensem, regiarum copiarum ducem in bello Gedanensi, & Moscouitico: *Andream*, Marschallum Regni Poloniæ, & aulæ præfectum: *Nicolaum*, qui bello Liuonico occubuit: *Christophorum* Regis pocillatorem: *Samuelem*, audacem, & martium, qui cædem nobilis cuiusdam, & æmulationem cum Zamoiscio Cancellario, Cracouiæ Anno XXCIV. capite luit. Sed de his legantur historiæ Polonicæ.

Fuit omnino Dudithius ingenio, animo, scientia variarum linguarum, Philosophiæ totius, Mathematum & Astrologiæ, rei Medicæ, Iuris ciuilis, omnis generis historiarum: & sacrarum literarum: denique & corporis dotibus magnus ac præclarus, statura procera & autoritatis plena: facie vultuque amœno, læto, hilari, & bonitatem naturæ præ se ferente: sobrietate & continentia rara, abstemius, parcus cibi, potusque è melle & aromatibus cocti: compotationum & heluationum Sarmaticarum ac omnis ἀσιοτίας hostis: alioquin suauissimis moribus & sermonibus, quibus audientes mirifice tenebat & oblectabat: animi lenitate tanta, vt quemuis facile ferret, nullius colloquium refugeret. Odisse se dicebat vitia, nō homines: quibus quoquo modo prodesse studebat. Opinionum & iudiciorum libertatem æquo animo ferebat: aliquando nimis etiam diligebat: in quo pios & bonos quosdam sui amantes haud leuiter offendit: qui non abs re metuebant, ne forte à quibusdam male feriatis in Sarmatia, dubitationum Academicarum περὶ θείων δογμάτων fluctibus mersus, aut in famibus scopulis opinionum prauarum impactus, veræ fidei naufragium faceret. Sed euasit ex illis syrtibus periculosis, ac rectum deinceps cursum tenuit: id quod præter alia multa documenta, & grauium virorum testimonia, confirmauit extremus actus vitæ: de quo dictum. Sane qui familiarius illum nouerunt, fatebuntur, eum inimicissimum fuisse mendaciis, vanitatibus, ἀλαζονείαις, fastui, luxui, auaritiæ & ambitioni: veritatis indagandæ, modestiæ, virtutum studiosissimum: nihil in eo fallax, subdolum, versutum: sed apertum, ingenuum, candidum, in actionibus omnibus: caritatis Christianæ, præsertim in egenos, exempla plurima edidisse: cum summa comitate & humanitate erga cunctos, eam tamen grauitatem coniunctam habuisse, quam Philosophum Christianum & tantum virum tenere conueniebat, sic vt omnes illum nō minus colerent, quam amarent: Calamitates haud paucas animo forti superauit, ac solatus est se prouidētia Dei, cuius nutu regantur omnia, & fiant optime, quæcunque fiunt. De quibus & illius epistolæ ad Amicos multos scriptæ, & plurimi fide dignissimi viri, adhuc super-

superstites, abunde testificari poterunt. Plura nolumus hoc loco commemorare: confirmandi tamen ea, quæ attulimus, ergo Clarissimorum aliquot virorum de Dudithio testimonia subiiciemus.

IAC. AVG. THVANVS HISTORIArum sui temporis Lib. IX. extremo.

ANdreæ Dudithii Pannonii illustre nomen in literis & ob legationes ab eo obitas &c.

Libr. XXXII.

ANdr. Dudithius Episcopus Tininiensis, admirabili vir ingenio ac doctrina, Orator Cæsareus, iam Tridentum aduenerat. &c.

Lib. LVI. Anno CIↃ. IↃ. LXII.

CÆsareus orator ad Polonos Anno CIↃ. IↃ. LXXII. *fuit wilhelmus Vrsinus Rosembergus, supremus Boemiæ Burgrauius, vir perillustris & eruditus, sed parum vehemēs. Huic comes in arcano additus fuerat Andreas Dudithius, legationis vtique princeps futurus, si, vt in pristina apud Cæsarem gratia, sic in maiorum religione perseuerasset: à qua cum sub ib desciuisset: singulari tamen erga Austrium nomen adfectu meruit, vt si non primarias partes, (hoc enim Cæsari apud Pontificem inuidiosum fuisset) saltem secundas, tanquam præcipuus Rosembergi consiliarius, teneret, & pro prudentia sua, & rara in scribendo loquendoque facultate, negotium adiuuaret. &c.*

Libro LXI. Anno LXXV. pag. 90.

CÆsar regnum Poloniæ sibi, aut Ernesto, vni ex filiis ambiebat: eaque in re Andreæ Dudithii Pannonii, non solum literis insigniter exculti, sed & rerum Polonicarum vsu probati opera vtebatur, qui nihil non agebat, verbis, promissis, prensationibus assiduis, vt Cæsaris ratio haberetur: & præcipui ex nobilitate, in eam partem inclinabant. &c.

Hæc Thuanus.

PAVLVS MANVTIVS
ad
VIDVM PANCIROLLVM IC. PA-
tauium Anno M. D. LVIII. de Andrea Dudithio.

CVm alia me in ista vrbe, quam tu præter ceteros tua virtute nobilitas, & ornatissimorũ iuuenũ cœtu frequentas, oblectare vehemẽter soleant: tũ nihil est, aut esse omnino potest, *And. Dudithij* quotidiana consuetudine, iucundius: non solũ, quia probitate, modestia, morum elegantia, omnibus denique animi bonis excellit: sed etiam, quia paucorum annorum studio, præstantia videlicet ingenii, quam ego semper amaui, consecutus est, vt exquisitam, ac variam sermo illius eruditionem præ se ferat: scripta vero ad Ciceronianam eloquentiam sic accedant, vt cum iis, qui suum nomen hac laude celebrarunt, qui pauci admodum sunt, conferri iure possit: æqualibus vero cunctis facile antecellat. Hunc ego tibi iuuenem, quem olim mihi adolescentulum vir omni laude summus, *Reginaldus Polus* Cardinalis, magnarum virtutum indole commotus, accuratissime cõmendauit, etsi necesse non arbitror, commendo tamen eo studio, quod quia verbis exprimere mihi non licet, tu quoque, tantum esse, velim existimes, vt exprimi nullo modo possit. Is cum ante Philosophiam, præsertim quæ de Græcis fontibus hauritur, & humanioris doctrinæ studia diligenter, eximiaque cum laude coluit: tum hoc tempore in cognoscendo iure ciuili totus est, qua illum cupiditate quotidie magis incendit admiratio tuæ virtutis, quam in omni fere sermone ad cœlum fert, exterisque etiam gentibus, licet illustrem satis, elegantissimis declarat epistolis. Pertinet igitur ad humanitatem tuam, qui te tam valde amet, tantique faciat, eum redamare, eique reconditos illos, omnium purissimos, tuæ scientiæ fontes aperire: pertinet etiam ad fidem, qui se totum in tuam disciplinam tradiderit, opibus eum impertire ingenii tui, quas ille, Regum opibus, & sua sponte, & meo iudicio, cui tribuere aliquid videtur, præstantiores

tiores existimat. Hæc ad impetrandũ magna sunt, præsertim apud optimum virum, quam in tuis laudibus præcipuam agnoscimus. Verum accedit amor in te meus, qui fraternam necessitudinem æquat. is te rogat, is prensat, quam studiose, quam blande potest, pro *Dudithio* meo: vt cum, quem ego merito eius in oculis fero, tu, quem amicitiæ nostræ denegare nihil decet, quando nec studio tuo quidquam abnueret voluntas mea, omni benignitate cõplectaris, planeque in clientelam tuam, atque adeo in sinum æque, ac filium meum, æque ac me ipsum recipias. Quod si feceris, obstringes tibi non vulgari beneficio iuuenem, summo loco natum, dignum maioribus suis, qui *Pannoniam*, vt ego auguror, sua virtute aliquando *Italiam* faciet; à me vero gratiam inibis eam, quæ, si quid accedere ad meã in te beneuolentiam potest, quod equidem vix arbitror, id ipsum vna possit adiungere. Vale. Venetiis

---

PAVLLVS MANVTIVS
ad
ANDR. DVDITHIVM

ITa mihi optata contingant, vt commentariolo tuo nihil vnquam legi eruditius, nihil sanctius, aut ad retinendum Catholicæ religionis cultum accommodatius. Itaque cum in ortu Solis legere cœpissem, absolui facile ante horam prandij, opera nunquam intermissa. Valde enim delectabar ordine, valde etiam genere orationis tuæ. Res vero ipsa ita me affecit, vt quasi semina quædam veræ pietatis, quæ fructuum profecto non mediocrem aliquando ferent, in animo meo reliquisse videatur. Quod quanti esse apud me putas? quanti mehercule immensam auri vim non æstimo. quid enim cum æterna salute conferatur? quod si meis apud te precibus locum aliquem reliquit humanitas tua, rogo te etiam atque etiam, vt hoc genere scriptorum, quo quidem ad studium summi boni, perpetuæque felicitatis mirifice excitor, impetiri me quam sæpissime velis. quod si feceris, addictum me tibi multis nominibus obstringes eo beneficio, cuius delere memoriam obliuio nulla possit.

Idem Eidem.

VAlde probo industriam tuam, quam ad ornandum commentario aureolum Demetrij libellum περὶ τῆς ἑρμηνείας *contulisti: sed antequam institutum*

 absol-

absoluas, fore arbitror, vt exeat is, quem Petrus Bargæus, qui Pisanum Gymnasium politioris doctrinæ professione illustrat, ante aliquot menses, vt audio, confecit. Itaque malim ad Diodorum latinitate donandum operam, studiumque tuum conuertas: ne, quod aiunt, actum agas. Nam Bargæo, quem tu fortasse non nosti, nec ingenio nec doctrina, nec eloquentia quisquam præstat: quodq; paucis admodum contigit, tum oratoria tum poëtica laude pariter excellit. Absit igitur omnis æmulatio ab iis, quos ego vnice diligo, & à quibus item diligi me sentio.

Idem

Andr. Dudithio è Pannonia reuerso.

O Dulcem reditum, ô amandas literas, quæ mihi id significant, quod, non modo spe, sed nec suspicione attigeram. Sed, quando te ipsum, mi *Dudithi*, videre, quando licebit amplecti? oculos mehercule tuos, dum hæc ad te scribo, intueor, indices probi animi tui, indices humanitatis. Hoc mihi spectrum fingit amor: (quid enim aliud) & hæc me cogitatio iucunditate perfundit incredibili. Quid putas, cum erimus vna, dabiturque, vt ille inquit, veras audire, ac reddere voces? nemo vnquam perinde lætatus est inuento thesauro, vt ego, te reuerso. Videor enim amissum recuperasse: & plane amiseram. Nam, etsi reliqueras hic memoriam tuæ suauitatis, tuique ingenii: tamen, quod attinet ad aspectum, ad consuetudinem, ac sermonem, quibus nobis, tui amantissimis, nihil potest esse optatius, totus abieras. ac verebar, ne, vel precibus tuorum victus, vel honorum cupiditate illectus, totum te dederes aulicis muneribus, multa nobis, fortasse etiam literis, salute dicta: nunc, te tuus bonus, tuus, inquam, mihi crede, bonus genius reduxit, sicuti malus abduxerat. Quid enim sumus, nisi adsit humanitas, & literæ? quæ petuntur in ocio tranquilla mente. otii autem vbi plus, quam in isto secessu Patauino? nemo vnquam interpellat nolentem: inuitant ad virtutem, si minus voce, exemplo certe quamplurimi: patet aditus ad doctores in omni liberalium disciplinarum genere præstantes: quid præterea? cœli mira clementia: rerum quibus alimur, suauitas incredibilis, & copia. Hæc tibi, optime Dudithi, iure prima sunt; iure tot montes superasti, tot flumina transiecisti, vt hæc dimissa statim repeteres. Viues tibi, solutus ab omni cura: viues Deo, contentis diuitiis, abiecta illa gloria, quam falsa prorsus, & inanis honorum species ostentat. Quod nisi Deo viueres, nec tibi certe posses viuere. In illo enim vno vera, ac solida virtus: hæc, quam quærimus in libris, aut discimus ab hominibus, vmbra est. Quocirca hortor equidem te, vt libros euoluas accurate, vt magistris

assidue

assidue operam des: sed minimum in vtrisque pone, nisi tua studia diuino cum amore coniungas. Atque hæc me scribentem magnopere delectant; tibi non puto fore legenti necessaria: scribo tamen, & quia te mirifice diligo, cupioque esse, qualem pater filium; & quia commemoratione ipsa rei omnium optimæ, ac præclarissimæ, afficior sic, vt nullam ex vllo sermone, aut ex vlla cogitatione maiorem hauriam voluptatem. Nec tu debes officium meum aspernari, aut in deteriorem partem trahere, si tibi, etiam rectissime viuenti, (sic enim existimo, planeque mihi persuasi) constantiam laudo. Lubrica est enim adolescentiæ via: labuntur multi, cum aliquantum iam processerint: cursum vero conficit is, qui nititur optimis cogitationibus, ducemque sequitur eum, qui nunquam errat, communem humani generis parentem: qui tibi omnia bona pollicetur, & dabit, quæ nec ab Imperatore tuo sperare, nec ab vllo Rege licet. &c.

Hæc ad Dudithium Paullus Manutius.

PETRI FONTIDONII,

Segobiensis Hispani,

IN CONCILIO TRIDENTINO EPISCOPI Salmanticensis Petri de Mendoza, Theologi, de Andr. Dudithio testimonium, ad Nicolaum Olaum Archiepisc. Strigoniensem Tridento scriptum Anno M. D. LXII.

QVod sæpe multorum sermonibus acceperam, id nunc mihi experimento contigisse video, Antistes amplißime, tantam videlicet esse, non cognitæ modo, sed auditæ etiam virtutis & probitatis vim, vt eorum, quos nunquam vidimus, amore nostros animos inflammet. Nam cum in Reuerendißimi Episcopi Tininiensis Andreæ Dudithii, hominis amplitudinis tuæ studiosißimi, familiaritatem, non vllis meis meritis, sed eius incredibili bonitate, venissem: cuius ego dulcißima consuetudine, ob singulare illius ingenium, candidissimum animum, suauißimos mores, eloquentiam summam, & reliqua, quæ in eo maximæ elucent, virtutis & literarum ornamenta, & vtor frequentißime, & mirifice delector: cumque in magna patrum corona, qui sæpe salutandi, & colloquendi gratia conueniunt, vt frequenter in familiari colloquio solet accidere, quo in statu res Hungarorum essent, commemoraret, præter bellum, quod continenter cum Turcis gerunt, grauiter etiam variis nunc opinionum de religione erroribus totam illam prouinciam laborare, non sine maximo omnium dolore, referebat. Subinde vero vt excitatum animis nostris dolorem, tui recordatione mitigaret, &c.

Et Paulo post:

Mitto duas Dudithii tui elegantißimas orationes, quarum altera legatione functus est tanto

tanto cum omnium plausu & tua gloria, in cuius ille laudibus potißimum versabatur, vt dum præclaras illas & excellentes virtutes tuas in illo totius orbis gentium clarißimo domicilio in sacræ, inquam, synodi conspectu, diuina quadam eloquentia, voce & actione percurrit, cum admiratione & stupore totius senatus, dum præterea mala etiam & calamitates, quibus Hungaria nunc premitur & vexatur, exponit, Deum immortalem, quanto maximo tui amore, & illius prouinciæ misericordia, omnium pectora compleuerit: vsque adeo vt licet omnes te magno ornamento & vtilitati, huic sacrosancto Concilio (si adesses) futurum esse, ex illius verbis & commendatione iudicarent, illud tamen omnes censerent, te non magis à Pannonia, quam spiritum à corpore sine hominis interitu posse seiungi. Eiusmodi ille vulnera Hungariæ patefecit, quæ tantum medicum nec pedem ab ea efferre paterentur. In altera vero summam animi sui pietatem in patriam, & in ceteras Germaniæ prouincias indicauit, dum omnibus ingenii & eloquentiæ neruis impetrare contendit a sancta Synodo, vt perditas & profligatas nationes si hac via fieri posset, vnius calicis (cuius infinita quædam cupiditate teneri videntur) conceßione, ad Ecclesiæ gremium & veritatem, reuocaret. Qua in re, quanto sententiarum pondere, quanto verborum splendore, quam suaui & ad misericordiam procliui genere orationis vsus sit: quantam inde laudem & admirationem reportauerit, ipsa, me tacente, testatur oratio: qua quidem, cum eam legeris, omnium commendationem duces inferiorem. In vtraque vero sic se extulit & excelluit, vt mihi quidem & de amplitudine tua, de Hungaria vniuersa, de toto sacerdotum ordine, sic visus fuerit bene meritus, vt non meo solum sed omnium iudicio & sibi & patriæ summam gloriam attulisse videatur &c. Tridento. XV. Cal. Septemb. M. D. LXII.

THEODORVS BEZA

Generoso omnique doctrinæ & virtutis laude Ornatissimo viro, D. Andreæ Dudithio. &c. Anno M.D. LXVIII.

GRatulor tibi, totique Ecclesiæ, tantum istud beneficium Dei, qui te mirabiliter, ex Antichristi faucibus ereptum, ad Christi sui regnum transtulit: vt neque te Episcopales illæ diuitiæ, neque vlla, maximarum in illa perditissima Antichristi curia, dignitatum consequendarum exspectatio, neque Tridentini conciliabuli larua, licet tuæ, tum eloquentiæ, tum integritatis testis, efficere potuerint, quominus à tenebris lucem internosceres, castum coniugium superstitioso cœlibatui anteponeres; Christi veras opes denique omnibus Antichristi vanissimis illecebris anteferres: Perficiat idem ille Deus Opt. Max. pro bonitate singulari sua, excellens illud opus, quod in te inchoauit: teque Spiritus sui cunctis dotibus, quam munificentisse exornatum Ecclesiæ suæ quam diutissime conseruat.

EX

EX EIVSDEM TH. BEZÆ
ad
ANDR. DVDITHIVM
Epiſtola ſcripta
Anno M. D. LXX.

HÆc habui, quæ ad tuas reſponderem, non in Dudithium, cuius ego pietatem, eruditionem, elegantiſsimum ingenium amo & obſeruo: ſed ad Dudithium, cuius ſolicitudine afficior, quem ab illis perditis paulatim in auia abduci, vt eſt amor res quædam timoris ſolliciti plena, noctes iam & dies non ſine magno mœrore cogito: quem denique cupio pro viribus ex iſtiusmodi cogitationum, in quibus & ego hæſi, labyrintho ſic extricare, vt εὐθυμίαν, ſi non ſummum, at certe maximum bonum, illi poſsim breui gratulari. &c.

IOSIAS SIMLERVS
In Epitome Bibliothecæ Geſnerianæ.

ANdreas Dudithius inter eos, qui Latinæ linguæ puritate, & eloquentia celebres ſunt, honeſtiſſimum locum tenet.

EX IOH. MICHAELIS BRVTI FLOrentini, Regis Stephani Polon. Hiſtoriographi Epiſtola ad CL. V.

Iohannem Cratonem à Graſtheim Anno M.D.LXXVIII. de Dudithio ſcripta.

QVo me ſcias nunc vere viuere: quo tempore has ad te literas exarabam, in Dudithii Paſchouiano agebam: cuius ſuauitas tanta eſt, vt hactenus quaſi vmbra, & larua, aut mortuus inter viuos, aut viuus inter mortuos mihi agere ſim viſus: nunc primum vita videar frui. Portus vero tranquilliſſimus, homini defuncto grauiſſimis vitæ laboribus, ruſticatio, villa, fundus ferax, &, quæ eſt maxime expetenda, ſolitudo innocens, atque integra vita à nequitiæ labe. Adiuuat quidem loci amœnitas hominis ſuauitatem, non ſolum regum

maximorum iudicio summi, sed, quod apud me est permagni, etiam tuo. Læta omnia, ager, fundus, villa bellissima, tum, quarum est vsus, præter amœnitatem, summus, piscinæ, proximum flumen, quo fundus alluitur, vnde luculenta piscatio, cædua sylua, prata, læta armenta, greges. Nam matrona, in qua vna certat, cum insigni nobilitate, humanitas, & comitas summa: adde, —— *Positos vernas dulcis examen domus, Circum renidentes lares:*

Hic secura quies, & nescia fallere vita
Diues opum variarum, hic latis otia fundis.
Spelunca, viuique lacus, hic frigida Tempe,
Mugitusque boum, mollesque sub arbore somni.

Ni viuam vero, nisi summus poeta, verissimis suis coloribus videtur huius viri vitam sapientissimi, atque optimi ad viuum expressisse. Quid? quod elicuit suauitate sua musas in hunc secessum? Bibliothecam habet refertissimam, libros optimos, de reconditioribus rebus scripta multa: quæ ita parata ex longo vsu rerum maximarum mihi reseruauit, vt nunc modo sperare incipiam, inchoatum à me opus, haud infelicibus auspiciis, vt me iuuat sperare, me absoluturum. Iam illud ad me quanti? Siue quid ioco, siue quid serio agimus, *Interea pendent dulces circum oscula nati*: qui inter se sic gratia, iocis, garritu quodam amabili, & murmure certant, vt cum æque belluli omnes, sciti, hilares, festiui sint, nullus, sine aliorum iniuria, parentibus esse eximius possit. Ad prandium vocamur, ad cœnã: accipit mensa ita laute instructa, vt dapes inemptæ nihil à coqui artificio sumant, quo magis sapiant, si quis sit, qui eruditum habeat palatum. Ac ne tui nos desiderium angat, te medium inter nos fingimus, & quidem, recte valentem, bene absenti ominati. Ita non secus nos fallimus, ac si videamur te frui præsente, qui absis longissime. Quanta enimuero tua felicitas, cuius recordatio nos delectet, longo à nobis terrarum spatio disiuncti? His rebus, si quid est suauius in vita, aut amabilius, tum vero haud dissimulem, me plane omni sensu carere: sed vnum omnium maximum: is est fundi dominus, vt in Scytharum horrida hyeme, sit repræsentaturus perpetuum ver. De quo homine non est mihi necesse pluribus agere, tecum præsertim, cui nihil probari potest, nisi quod est summum. Quæris quid in solitudine, vt summa etiam amœnitas sit? quæ solitudo vero, vbi musarum delubrum, virtutum omnium, gratiarum, amorum? Vbi sit vnus, qui me ita tenet sermonis suauitate, literis, humanitate, vt, præ hac vna, sit mors, beatorum hominum vita habenda? Quæ aula vero magnorum regum hac solitudine frequentior? &c.

IOH.

IOH. MICHAEL BRVTVS

ad

ANDREAM DVDITHIVM.

IAm pridem me tibi deuinxit ſumma tua virtus, mihi à prima tua adoleſcentia conſtanti cognita ſama: ſed ita, vt nullum in te inſigne beneuolentiæ meæ monumentum, voluntas modo in te mirifica exſtaret. Tuæ virtuti hoc, ingenio, literis, in primis morum ſuauitati, atque elegantiæ debebatur, quæ tum erant in omnium ore: vt qui te noſſet, & non amaret, ne ſatis quidem ſe ipſe noſſe, atque amare videretur. Sed qui tam duro ingenio haberetur, erat nemo. Neque enim poterat cuiquam eſſe obſcura tua virtus, neque non, cognita, amari: cum eius, quocumque te verteres, ſtatueres inſignia multa, atque illuſtria documenta.

Nam eſt tantus honeſtatis ſplendor, tantaque vis, vt ſemel viſa amorem viris bonis, improbis admirationem ſui conciliet: qui etiamſi minus obiectam agnoſcunt, mentis oculis multis errorum tenebris offuſis: id patiuntur tamen, quod qui, imbecilla oculorum acie, in Solem intuentur: quibus pernicioſa lux eſt, quæ omnibus animantibus eſt ſalutaris: ſed ita hoc ipſum, vt dum ab illa refugiunt: ex ſua imbecillitate, quanta eius vis ſit, animaduertentes, cogantur, quam oderunt, tamquam rem diuinam tacita admiratione venerari: vt ſi virtus in hoſte conſpiciatur, non amari perſpecta haud poßit, ſi vlli modo in hominum vita adeo fero, atque immani ingenio inueniuntur, quibus ij ſint hoſtes, quos ornat ſemel complexa virtus. Atque huius quidem mei iudicij fructu tacitus animo fruebar, quod mihi erat commune cum multis: ita cum multis amabam, vt mihi ſumerem principes in te amando partes, in eo ambitioſus, ne quis mihi vllo genere obſeruantiæ, & ſtudii, vbi eius daretur declarandi facultas, præuerteret in tui amore: id enim ſi accideret, verebar, ne parum viderer, quanti eſſes, nouiſſe. Audiebam quæ Manutius, apud quem agebas, quæ Rullus, quæ Saulius, ex familia Poli Cardinalis: alii ſpectatæ virtutis, & ſapientiæ homines, de te prædicabant, conſentienti ore: vt mihi viderentur, non laudare te, quod tantus eſſes, ſed ex te vno, tanquam ex viuo exemplari, expreſſam nobis imaginem virtutis, atque honeſtatis repræſentare, quo illam, eius amore incenſi, arctius animo complecteremur. Qui vero fieri poterat, vt te non amaret, qui ita hæc de te acciperet fama, vt, vbi te aſpiceret, tanquam in ſua certa ſede, probitatem, pudorem, modeſtiam, temperantiam collocatam in tuis ſuauißimis moribus, & caſtißimis, vultu, oculis intueretur? Atque in eo quidem fortuna, raro mihi æqua, fauit.

Vidi enim ego te adoleſcentem ad Benacum, apud Polum Cardinalem, quem ille ſeceſſum ſibi delegerat, cauſa relaxandi animũ à grauiorib. curis, atq; vidi, & agnoui ſtatim, non

cuius-

quam indicio, aut ex oris lineamentis, sed ex iis ipsis virtutibus, quæ in te sese offerentes, vt latere non possent, te natum ad honestatem, & ad decus, diuinæ indolis, & spei adolescentem, &c.

IDEM AD EVNDEM ANNO *M. D. XXCI. Vratislauiam.*

NAm ex eo die, quo apud te Vratislauiæ fui, me sentio in vos efferri amore, ita, vt quidquid sit, quod agam siue domi, siue foris, me mihi surripiant statim, qui hærent infixi pectore vultus vestri, sermones, colloquia, deambulationes, conuiuia, omnia, quæ gratiæ, amores, veneres omnes, tractationes in primis doctissimæ de diuinis, atque humanis rebus suauissima reddunt. Hæret, inquam, animo beatæ istius ciuitatis species, qua nulla vnquam sapientium præcepta iustiorem, sapientioremque effinxerunt. Atque antea te hominem refertum omnibus animi, & naturæ muneribus, politioris omnis doctrinæ, atque elegantia principem, Vratislauiæ gratulabar, quæ te vrbs in suo sinu arcte complexa, non pateretur à se auelli; nunc tibi ego Vratislauiam vicissim gratulor: qui cum tanti apud omnes sis, quanti postulat virtus tua summa (tuæ humanitatis esse duces, credere hoc, quod tibi sancte polliceor, à me vere dici, atque ex animi sententia) vnam istam esse ciuitatem, in qua, vbi vita perfuncto liceat extremum spiritum edere, & vobis amicis meis, Vale dicere, sim existimaturus mecum optime agi &c.

Hactenus Ioan. Mich. Brutus.

IVSTI

IVSTI LIPSII EPIST. XCII.

Preslauiam.

ANDREÆ DVDITHIO V. N. CÆS. Consiliatio S. D.

IN *ruborem me das hac humanitate tua, Vir Illustris. Scribis vltro, compellas vltro: & promis atque offers ea, quæ improbæ pæne mentis sit à tali viro sperasse. Ego enim te noui Dudithi. Et quanquam inter nos multæ terræ, multi montes: tamen etiam huc penetrauit se dudum fama nominis tui & virtutis. Boni omnes ita me probent amentque, vt iam pridem ego te, etsi tacito dumtaxat quodam sensu. Quæ enim mihi occasio aperiendi: ad quam præiuisse nunc te & velut strauisse hoc iter beneuolentiæ & amoris, sane gaudeo. In quo sedulo & cum fide decurrendo, nunquam erit, vt vincat. Libellos nostros & Constantiam laudas. mentiar, si id mihi gratum: non quia laudes me capiant nimis, aut titillent, sed quia testimonia talium virorum. Itaque addis ad reliqua calcar. quo egere nos interdum fateor, ob iudicia siue calumnias quorundam. Nam valetudo mea nunc (propitio Deo dixerim) nihil impedit: & querela illa, quam Constantiæ subtexui, scripta in morbo meo ante aliquot annos. De Amphitheatro librum edidimus: quem mitto ad te non vt munus, sed nouæ amicitiæ velut arram. Supersunt Saturnalium aliquot libri: qui digesti, imo perfecti, nisi quod aliquam expectant iudicii limam. Quam haut facile adhibeo partim negotiis districtus partim his bellis: contra quæ etsi stamus erecti, tamen auocant sæpe hunc animum à talibus cogitationibus, & in se intendunt. Remedium tu amice offers (scio enim quod domicilium & apud quem designes) & exosculor adfectum. Sed multa mihi nunc impedimento. Familia, vxor (nulli tamen liberi) parui è sorore nepotes, quibus tutor ego, illa nuper mortua, imo velut pater. Sed nec corpus mihi nimis firmum ad longum iter: etsi integra adhuc & viridis atas. Itaque non decretum mihi commouere ex hac patria, in fluctu aliquo maiore expellar. quod non semel nobis timendum videtur in hac tam diuturna tempestate. Alioqui beneuole me habent Bataui, & stipendio sane honesto. Nicasium Ellebodium ab adspectu nunquam moui, optime à nomine: iam tum cum Romæ apud Cardin. Granuellanum agerem, paucis mensibus post eius discessum. Nam ipse tunc Patauí: & scio me aliquando ad eum scripsisse Cardinalis nomine & iussu. Scire velim viuatne, & ecquid agat. Idem de Michaele Bruto: quem ex epistolis editis video tibi amicum, itemq; ex Præfatione ea, quæ in iudicio tuo de Cometis. quem libellum iam olim auide legi & cum fructu. De Mathematico scripseram olim ad Ortelium, sed nescio reuera sitne futurus ad saliuam tuam & ad gustum. Mathematicus enim merus est, sine alia arte, imo pæne lingua. denique ex genere, qui μηχανοποιοὶ potius quam θεωρητικοὶ. Adde quod ægre nunc auellatur ab his locis, in quibus arti eius honos & vsus. Si quid de altero eruam, non grauabor indicare. Donellus Iurisconsult. amice te resalutat. quem Norici abstrahere conati à nobis ad Altorfianam Academiam, frustra. Manet enim mansurusque est, quam diu hæc schola. Valde & tibi se insinuat noster Dousa: itemq; Plantinus, qui apud nos nunc agit, & casu cum has scriberem interuenit. Vale Ampliss. & nobiliss. Dom. Lugd. Batauor.* ∞. IↃ. LXXXIV. *Saluto ex animo D. Monauium si est istic.*

IVSTI LIPSII

Præfatio in

Notas Hiſtor. Lib. C. Taciti.

AMPLISSIMO ET NOBILISSIMO

Viro

ANDREÆ DVDITHIO

dedicat

I. LIPSIVS

FAma egregiæ virtutis & doctrinæ tuæ late fuſa, beneuolentia in me illuſtri teſtimonio oſtenſa, ea me impulerunt, vir Germaniæ tuæ clariſsime, vti commentarios hos meos, ſiue Notas verius, luce illuſtrarem nominis tui. Nec magnum hoc quod adfero, fateor: ſed inſcriptorem tamen magnum. cuius veras intimasque virtutes pauci æſtimant aut capiũt, nec niſi initiati melioribus doctrinæ & ſapientiæ ſacris. Ac volebam ſane atque etiam debebam iſta paullo vberius: ſed vt verbo dicam, valetudo & otium mihi parum velificata ad hunc effectum Illa aduerſa: hoc in cottidianis occupationibus & turbis exiguum, imo nullum. Ita ignoſcendum mihi, ſi hęc non ad ſuperioris mei commentarii exemplum. Quod à te, ſpero, facile impetrabo, vir non tantum optime & doctiſsime, ſed (quod ex his fontibus manere certo ſcio) etiam humaniſsime, capiesq; benigne munus ſiue libationem horum fructuum: quos ſi non vbertim, tamen nouiter protulit ingenii noſtri ager. Et protulit per æſtatem hanc bene turbidam. vt mirari nihil ſit, ſi læti parum aut percocti. Non enim metus iam diſcriminis, ſed ipſum capiti noſtro imminet: quod forti tamen (audeo apud te dicere) & erecta ceruice poſsim excipere, paratus ad omne ſiue exilium ſiue exitium. Et ſi cedere mihi opus: non trepide nec indecore cum hoc vulgo id faciam, ſed ſenſim recedam, quod dicitur, & ſaluis Cõſtantiæ meæ ſignis. quod ſi cædi etiam fiat ſane, ſi Deo ita viſum. Ἐμὲ δὲ Ἄνυτος καὶ μέλιτος ἀποκτεῖναι μὲν δύναται, βλάψαι δὲ οὔ. Vale.

LIPSIVS EPIST. CENT. I. EP. 75.

ANdreæ Dudithii per te literas accepi, viri magni, alti, & de quo illud poßim. σεπλασμένον ἐκ Διὸς ἔρνος.

Idem Epiſt. Cent. II. Epiſt. 78.

LIteræ tuæ à ſe gratæ, mi Monaui, hoc aſperum habuerunt & triſte, quod nunciarunt de morte Andreæ Dudithii, magni & ſapientis viri. Qui etſi præter ætatem nihil paſſus videri poteſt, aut præter communem illam legem:

tamen

tamen profecto dolori est, & amicum nos amisisse, & Germaniam in hoc statu rerum spoliatam notæ modestiæ & prudentiæ viro. Nam in aulis Principum quam multi passim, vt sic dicam, incendiarii turbarum, & qui πῦρ ἐπὶ πῦρ addunt, à quorum ingenio alienissimus hic noster, natus sedare ciuiles istas tempestates, non excitare. Sed Deo pacis visum vocare ad se istum Pacatorem: ideoque feramus in Constantiæ nostræ monitis fixi.

A. BVCHOLCERVS IN ISAG. Chronol.

ANdreas Dudithius ab Horehovviza, genere, virtute, eruditione, diuersissimarum linguarum cognitione, & maximarum rerum vsu vir vere illustris, trium Imppp. Auggg. Consiliarius & Orator, summis honoribus tum sacris tum profanis, & legationibus amplissimis apud exteros Reges & Principes præclare perfunctus obiit Anno 1589. *die* 23. *Febr. ætatis* 56. *Vratislauiæ.*

AND.

28

ERRATA CORRIGENDA

Pagina 6. linea 33. leg. vestigium. P. 11. l. 5. dele, in. p. 13. l. 24. l. administros. p. 13. l. 13. l. machinas. p. 15. l. 9. confidentiam. p. 20. l. 4. caliginem. p. 21. l. 18. casu. pag. 22. l. 1. propulsare, l. 8. porrigite. l. 29. vestrorum. p. 24. l. 20. quod ni vos. p. 25. l. 18. quidam. p. 32. l. 5. abdicatis. p. 39. l. 36. renouandi. p. 40. l. 25. conductitii. p. 42. l. 5. sitientissimus. p. 44. l. 30. aptior. p. 47. l. 25. pacatiorem. l. 28. efferor. p. 48. l. 17. voluntatem. p. 53. l. 1. in titulo, pro Coniugio, sic deinceps. p. 56. l. 17. mulierem. p. 59. l. 16. vulneraretur. l. 21. crimine. p. 59. vxore. p 61. l. 19. baptizaretur. p 65. l 6. vasa. p 66. l. 14. pertinent. p. 68. l. 34. baptismi. p. 69. l. 4. libro, heresesum. pag. 76. l. 6. conditione, p. 80. l. 20. irritassem. l. 28. bibliothecis. p. 82. l. 34. ob hoc. p. 88. l 34. tum ea. p. 94. l. 8. auctoritatem. p. 99. l. 1. dele 66. l. 22. benignissima. p. 102 l 9. episcoporum. p. 103. l. 13. ignoratione. l. 17. visus. p. 114. l 11. ordo. p. 112. l. 9. solaque, p. 125. l. 4. frequentibus. p. 126. l. 11. existimarunt. p. 133. l. 2. Guisii. p. 134. l. 1. ex Caroli regis, l. 2. 07. 08. p. 197. l. 18. domo. l. 21. renitamur contra. p. 221. l. 13. Mantuæ, post Tridenti.

ANDREÆ DVDITHII DE HOREHOVIZA, EPISCOPI Tinniniensis, Chanadiensis, & Quinque-ecclesiensis

ORATIO I.

Habita ad Patres Concilii Tridentini.

TRIA fuerunt tempora, & ea quidem non ita multis mensibus interiectis: quibus temporibus hi, quos in literis, quæ modo recitatæ sunt, enominari audiuistis, Reuerendissimus & Illustrissimus D. Nicolaus Olahus, Archiepiscopus Strigoniensis, D. Episcopi, cunctus denique Hungariæ clerus, lætitia sane tanta affecti sunt, quanta vix vlla oratione explicari posse videatur. Primum quidem tempus fuit, cum, religionis Christianæ rebus in maximum periculum, & extremum pene discrimen adductis, auditum est, eum nobis Dei misericordia ac bonitate, veluti è cœlo demissum esse gubernatorem, qui tot tantisque procellis, ac tempestatibus agitatam, ac prope in scopulos illisam Christi nauem, Christo ipso, qui horribiles fluctus compesceret, è somnis excitato, tranquillum aliquando in portum perduceret. In quo certe ita nobis à diuina bonitate consultum esse confidimus, nihil vt iam ad felicem huius tam salutaris, tam bonis omnibus optatæ, tamq; speratæ rei euentum magnopere desiderandum amplius esse videatur. Eum enim nobis DEI clementia Pontificem dedit, qui religionis studio, in Christi

30

plebem charitate, ac sapientia longe excellit. Quæ quidem virtutes in eo haud obscure iam tum elucebant, cum in Hungariæ regnum, satis quidem incolume illo tempore, nunc vero malis omnibus oppressum, ac pene euersum, vna cum clarissimo viro fratre suo missus, omnium in se nostrorum hominum ora, sermonesque conuertit. Neque enim tum nostra gens alium eum futurum sperauit, quam qualem ipse postea præclarissimis, & omni commendatione dignissimis actionibus se præstitit. Etenim, vt alia quamplurima transeamus, in quibus singularis eius sapientia, ac summa quædam pietas enitet, quantum illud est, quod post adeptam hanc dignitatem, qua ne fingi quidem excelsior vlla potest, non propterea ad eum se dignitatis gradum sublatum esse existimauit, vt suis commodis, sed vt Reip. Christianæ incolumitati, atq; vtilitatibus inseruiret? Et quidem, vt omnes homines intelligerent, eum hac vna in re omnes cogitationes defixisse, cum primum Pontifex Maximus diuino afflante Spiritu renunciatus est, nihil potius habuit, quam vt prauis opinionibus imbutas hominum mentes purgaret, easq; à simulata religione ad verum Dei cultum: ab immani quadam contumacia ad Ecclesiæ obedientiam: à summa demum insania, ad integram sanitatem reuocaret. Quod, vt sapiens, ac peritus medicus, quam posset, leuissimo, & ad morbi naturam peraccommodato remedio tentandum, neq; statim ad acriores medicinas confugiendum esse iudicauit. Itaq; cum ingratos sane multos, & leuissimorum hominum fallaciis irretitos, ac prorsus infatuatos Ecclesiæ, suosque filios, omnem obedientiam abiecisse, seque è charissimæ matris complexu, per summam impietatem ac petulantiam, submouisse animaduertisset: Dei Max. cuius in terris vices gerit, bonitatem & clementiam imitatus, non statim illos omnino abiiciendos, ac, pro summa sua potestate, æternis suppliciis adiiciendos esse duxit: sed eximia adductus charitate, ac paterna quadam indulgentia, id dedit operam, vt, si posset, Deo, sibiq; eorum animos conciliaret, eosq; in Ecclesiæ matris gremium restitueret. Atq;, vt id commodius, rectiusq; consequeretur, sacrosanctum hoc Oecumenicum concilium congregandum sedulo curauit. Atq; hoc quidem fuit alterum lætitiæ illius tempus, qua Hunga-

riæ

riæ Epiſcopos, & vniuerſum clerum affectum fuiſſe initio dicebam, idq; profecto non ſine cauſa. In eam enim ſpem veniebant, fore, vt hac potiſſimum ratione peſtilentiſſima hæreticorũ lues, quę vniuerſum iã Chriſtiani orbis corpus peruagata eſt, aut prorſus tolli, aut ita compeſci poſſet, vt à ſumma deſperatione ad magnam ſanandæ Reip. ſpem bonorum animi erigerẽtur. Quam ad rem perficiendam quid aptius, quid horum ſanctiſſimorum patrum celeberrimo conuentu accõmodatius fieri potuit? Nam, ſi in morbis curandis illud inprimis ſpectamus, vt contrariis adhibeamus remedia contraria; in hæreticis ad ſanitatem reuocandis, omnis generis ſatis vberem & abundantem ampliſſimi patres nobis medicinam ſuppeditabunt. Nempe, ſi erit nobis contra hæreticorum impietatem decertandum, horum illis patrum ſingularem pietatem opponemus: ſi contra ſuperbiam, humilitatem: ſi contra inſcitiam, rerum omnium ſcientiam: ſi contra leuitatem, conſtantiam obiiciemus. Nullum denique morbi genus illos occupare, aut potuit antea, aut deinceps poterit, cui ſalutarem & præſentẽ in ſanctiſſimis hiſce patribus medicinam reperire non liceat. Sed hæc notiora ſunt, quam vt in eis explicandis longiorem orationem ſumi neceſſe ſit. Iam vero tertium tempus, quo incredibilem noſtri Epiſcopi animis lætitiam ſenſerunt, illud fuit, cum primum inauditum eſt ac poſtea conſtanti fama percrebuit, ſanctiſ. D. noſtrum Papam, quæ ſumma eius eſt ſapientia, ad ſacroſanctum iſtud legationis munus obeundum, quo ſecundum ipſius dignitatem nullum in terris habetur maius, ex omnibus vos potiſſimum delegiſſe. Quod quidem eius iudicium ita omnium ſententia comprobatur, vt nihil prudentius, nihil ſanctius, nihil ad id, quod quæritur, perficiendum, accommodatius excogitari potuiſſe, optimus quisq; veriſſime prędicet. Tot enim ſunt, ac tam præclaræ cuiusq; veſtrum virtutes, vt nulla exiſtat tanta dicendi facultas, quæ earum laudibus non longe ſit inferior. Quare ne videar vel modeſtiæ fines tranſire, vel præter animi mei ingenium aſſentatione vti, malo egregias virtutes veſtras animo cogitationeq; mecum reputare, atq; admirari, quam pauca, eaq; non ſatis pro tantæ rei dignitate, in medium afferre. Nam ſatis præclare mecum quidem in præſentia actum

putarem, si vel illud dicendo consequi possem, vt eam, quam dixi, nostrorum Antistitum lætitiam vobis ante oculos ponerem, ac simul ostenderem eximiam eorumdem in Catholicam Ecclesiam obseruantiam, ac studium quoddam singulare. In quo tamen illud me consolatur, quod spero, id ipsum vobis omnibus aliqua ex parte iam esse persuasum, tibiq; inprimis, Stanislaë Hosi, Cardinalis amplissime, qui Nicolaum Olahum Strigoniensem Archiepiscopum, quem sæpe honoris causa nomino, &alios nostros Episcopos & nouisti, & eis familiariter etiam vsus es. Te igitur, Illustrissime Hosi, testem appello, tuoq; grauissimo testimonio, D. Archiepiscopũ, ac Dominos Hungariæ Episcopos honestari, ornariq;, & meæ cursum orationis adiuuari cupio. Nonne magnam in omnibus, maximam in optimo illo ac prudentissimo sene D. Archiepiscopo pietatem, in oues sibi commissas charitatem, & curam, in lupis à caulis suis abigendis vigilantiam, in sanctiss. D. nostrum, in sanctam sedem Apostolicam obedientiam, in te, atq; alios tui ordinis proceres obseruantiam cognouisti? Equidem illud pro certo affirmare possum, si par esset nostræ tot iam bellis attritæ, ac pene prostratæ nationis ratio, atq; aliarum etiamnum florentium: nec ipsum D. Strigoniensem Archiepiscopum, hominem quamuis ætate iam exacta, ac prope decursa, nec alios D. Episcopos nostros, omnes ferme, aut aduersa valetudine, aut senectute, quæ ipsa morbus est, ita confectos, vt minime possint iter paulo longius ingredi: dubitaturos fuisse, huc omnes cupidissime venire, suamq; hanc talẽ, tantamq; lætitiã, & quam S. D. nostro, & S. sedi Apostolicæ, & vobis omnibus & debent, & debere se libenter profitentur, obedientiam atque obseruantiam, præsentes, quibus potuissent rationibus, declarare. Neq; vero alienum quicquam à maiorum nostrorum pietate ac religione fecissent. Multas enim gentes gens nostra Hungarica in sanctam sedem Apostolicã obseruantiã, &, quæ hinc nascitur, pietate, ac religionis cultu antecessit. Cuius quidem rei tam multa, tamq; præclara extant testimonia, vt nemo adeo rerum sit imperitus, cui singularis Hungarorum pietas, ac religio non maxime sit cognita. Ac, ne quid interim de multis legibus nostris dicam, qui ob eximia in Christianos merita, ob vitam sancte

actam

actam, in beatorum sunt numerum relati: quid illa, quæ in omnium oculos incurrunt, superba, & magnis opibus extructa templa, cœnobia magnificentissima, sacerdotia opulentissima, an non satis magnum maiorum nostrorum pietati testimonium præbent? Iam vero non ita pridem, sed patrum nostrorum memoria, saluis adhuc, atque florentibus Hungarici regni rebus, quanti illud studii, atque obseruantiæ, quantæ pietatis erga Romanam Ecclesiam fuit totius gentis argumentum? cum innumerabilis prope multitudo quotannis cupidissime Romam confluebat, vt beatorum Apostolorum limina salutarent, atq; his proni oscula figerent, omnesque Sanctorum reliquias, quibus vrbs est refertissima, venerarentur: ac demum à Pontifice Max. summi beneficii ac gratiæ loco, benedictionem læti domum referrent. Vias tum paßim, plateas, fora, gentis nostræ viris ac fœminis paruulos etiam secum trahentibus oppletas vidisses. Non quenquam vel ætas, vel sexus, vel itineris longitudo, vel mille viæ pericula, aut vlla omnino difficultas retinere poterat, quin Romam venerabundus religionis ergo properaret. Omnia scilicet pietas vincebat. Atque hic quidem fortasse adsunt, qui hæc, quæ dico, viderint, vt poßit ab ipsorum oculis oratio mea firmißimum atque grauißimum huius tantæ nostrorum hominum pietatis & religionis testimonium capere.

Sed huius generis adeo sunt multa Hungarorum pietatis testimonia, vt nusquam se non offerant. Ac, ne alia nunc attingamus, quid de tot tamque diuturnis atque adeo continentibus aduersus communem Christiani nominis hostē, & susceptis, & confectis bellis, quid dicam aliud, quam quod omnium hominum confessione verissimum esse constat? Hungaros nimirum singulari pietate ac Christianæ religionis studio adductos, propterea arma sumfisse, vt horrendā illam barbarorum tyrānidem omnibus populis imminentem, depellerent, ac durissimum intolerabilis seruitutis iugum à Christianorum ceruicibus excuterent: quorum quidem tantæ pietati quæ satis digna à Christianæ pietatis cultoribus referri gratia potest?

Ipsi, vt reliquæ nationes in vtramuis aurem secure, vt ita dicam, dormiant, vt pacis artes, omni deposito timore, excolant,

vt ſummo otio perfruantur; ipſi, inquam, Hungari ſæuiſſimis barbaris ſua corpora miſeris modis dilanianda obiiciunt; ipſi barbarorum tela, in Germaniam, in Italiam, in Gallias, in Hiſpanias, in alias Chriſtiani orbis partes, directa, ſuorum corporum obiectu excipiunt. O pietatem ſingularem! O ingentem atq; admirabilẽ Hungarorum ex pietatis radicibus pullulantem Charitatem!

Hanc à maioribus noſtris nobis veluti per manum traditam ac ſumma conſtantia ſeruatam pietatem & obedientiam, & ipſe D. Archiepiſcopus, & reliqui Epiſcopi noſtri ſuo, vt dixi, aduẽtu cõprobaſſent, ſi parem volũtati facultatem, aut commoditatẽ habuiſsẽt. Sed ita ab immani Turcarũ rabie omnia diuexãtur; ita ab hæreticis oĩa perturbantur, ac ſurſum, deorſum feruntur: vt, ſi vel paululũ ſe à ſuarum ouium conſpectu ſubducãt, nihil iam integri ſit manſurum. Actum ſane de religione, deque omni pietate foret, ſi D. Archiepiſcopus, ſi alii D. Epiſcopi, non dicam, in longinquam aliquam regionem proficiſcerentur: ſed ſi pedem ex Hungariæ finibus efferrent. Si quid eſt, quod hæreticorum hominum rabiem compeſcat, authoritas certe eſt, cuius nonnullum adhuc veſtigium noſtri Epiſcopi retinent. Idq; ob piiſſimi atq; optimi Regis noſtri Ferdinandi Imperatoris ſummam pietatem, & ſingularem quandam in Chriſtianam religionem, inq; noſtrum hunc ordinem animi propenſionem.

Et quidem quod Chriſtiana religio in Hungaria aliquantum adhuc vigeat, neque prorſus exploſa exturbataq; ſit, vnius Cæſaris Ferdinandi pietati acceptum inprimis referre debemus. Cuius erga nos clementia atq; in Deum pietate Epiſcoporum noſtrorum authoritas primum nixa, tum functionibus quibusdam fulcitur, ac ſuſtentatur, quæ in Reip. noſtræ admiratione ſitæ ſunt. Ac, niſi maiorum noſtrorum ſapientium virorum virtute perfectum, ac prudentia ita nobis prouiſum fuiſſet, vt qui apud nos Epiſcopi eſſent, iidem etiam à Regibus ipſis noſtris ad conſilia adhiberentur, nullum in Hungaria iampridem pietatis veſtigium reliquum eſſet.

Quod ſi hoc etiam tempore à Regis conſilio remouerentur Epiſcopi, DEVM immortalem, quanta repente religionis, & rerum Eccleſiaſticarum perturbatio exiſteret?

Nam

Nam tametsi eum Dei benignitate & clementia Regem nacti summus, qui vnus omnium regum pietatem, ac sapientiam superat: tamen is tot populorum, tot regnorum, & maximi Imperii procuratione distractus, ac grauissimis, iisq; continuis occupationibus impeditus, quî potest cognoscere, quid in hac, vel illa Hungariæ parte fieri oporteat, nisi Episcoporum admoueatur diligentia? Eo iam hæreticorum vis processit, vt nisi aut ipse D. Archiepiscopus, cum id per muneris sui pastoralis rationem licet, aut alius ex Episcopis aliquis ad Principis latus assistat, qui contra perpetuam hæreticorum audaciam & insolentiam, eius opē auxiliumq; imploret, omnia in peius ruere, ac retro sublapsa referri videantur. Quod probe intelligens S.D. Noster, & reipsa expertus, quanti intersit miserrimo hoc tempore, si docti & pii viri Ecclesiarum apud Principes patrocinium suscipiant, illum ipsum, quem iam ante nominaui, Nicolaum Olahum Archiepiscopum Strigoniensem, virum omni virtutum ac laudum genere ornatissimum, teq; Reuerendissime Quinque-Ecclesiensis Episcope, hortatus est, ac monuit, atq; adeo mandauit, vt nunquam ab Imperatoris, ac Regis nostri latere vel latum vngem discederetis; sed pro vestra authoritate, & qua, merito vestro, plurimum apud eum valetis, gratia, Ecclesiarum causam defenderetis, ac tueremini. Huc accedit, quod D. Strigoniensis, & alii ex nostris Episcopis nonnulli Turcis finitimas arces habent. Iam in iis defendendis, & ab hostium iniuria tuendis, etsi Cæsareę Maiestatis munificentia, & liberalitate potissimum subleuentur: nisi tamen sua ipsi quoq; prouidentia, ac cura, quæ ad remorandas, quãtum fieri potest, hostium incursiones vsui sunt, subministrent: si suam prudentiam ac vigilantiam Turcarum potentiæ non opponant, quomodo fructus suos percipient, quibus se sustentare suarumq; ouium commoditatibus prospicere queant? Postremo tanta est quorundam ac prope omnium nostrorum Episcoporum inopia, vt nisi eos piissimus idemq; optimus Imperator & Rex noster singulari sua liberalitate adiuuaret, & ex suo ipsos ærario aleret, vix fieri posset, vt hi se domi suæ sustentarēt, nedum possint tantos sumtus, quanti hic faciendi sunt, sustinere.

His igitur publicis muneribus illic occupentur necesse est, si sui Episcopi auctoritatem ac religionis dignitatem retinere ac tueri, si gregem sibi commissum defendere velint.

Eo enim ventum iam est, vt non tam contra Turcas, quam contra hæreticos nostris Episcopis sit decertandum. Quod ni faciant, actum, vt iam dixi, de omni pietate foret. Quanquam ne hac quidem ratione possunt id, quod cupiunt, assequi. Tāti enim tum à Turcis, tum ab hæreticis impetus existunt, vt non sine singulari Dei prouidentia, nullo eis humano ingenio, nullis opibus resisti posse videatur. Atq; vtinam, ò vtinam, cum sacrosanctum hoc Oecumenicum concilium dimittetur, & actiones nostræ, quem speramus, felicem exitum habebunt; vtinam, inquam illuc vnde egressi sumus, nobis redire liceat! Hæc est nunc calamitosissimæ, olim vero non tam aliarum rerum vbertate, quam religionis integritate florentissimæ Hungariæ facies, quam, nemo est adeo ferreus, qui aspicere, & lacrymas continere queat.

Sed tota hac de re, deq; miserabili Hungariæ statu, de hæreticorum multitudine, ac varietate, deq; iis rebus, quæ priuatim ad Ecclesias Hungariæ pertinent, dicam alias, cum id per vestram mihi benignitatem & patientiam facere licebit. Nunc dicendi finem faciam, si prius illud dixero, Reuerendissimum D. Strigoniensem, D. Episcopos, & vniuersum Hungariæ clerum, cum ipsi ob iam commemoratas, multasq; alias causas, præsentes adesse non possent; vt suum tamen singulare studium testificentur: quod antehac nullis vnquam temporibus factum fuisse legimus, ne florentissimis quidem Hungariæ rebus: id nunc ipsos, prostratis publicis, ac priuatis opibus præstitisse, vt nos duos hoc tempore, D. Iohannem Syluestri Colosuarinum, Episcopum Chanadiensem, quem hic præsentem cernitis, & me, summa Cæsareæ Maiestatis voluntate deligerent, qui eorum nomine omnem, quam S. D. Nostro sanctæ sedi Apostolicæ, & vobis debere se profitentur, obedientiam deferremus, ac supplices obtestaremur, vt hanc ipsorum voluntatem, atque etiam missionis tarditatem boni consulatis: seque ac suas Ecclesias, quæ in tutela, ac patrocinio potissimum vestro conquiescunt, eo loco habeatis, vt inter ceteras orbis terrarum Ecclesias, nonnullam ipsarum

rum quoque habitam rationem appareat à vobis fuisse. Quæcunque autem vos & sacrosanctum hoc œcumenicum concilium statuerit, & sanxerit, ea nos ipsiq; non secus, atq; à Deo Max. profecta, qui nusquam à vestris consiliis abest, summa cum reuerentia atq; humilitate, non accipient solum, sed accepta, quam poterunt, maxima cura, ac diligentia, tum ipsi seruare, tum alios etiam, vt id faciant, adducere conabuntur.

RESPONSVM SACRI CONCILII Tridentini, ab ipsius Concilii Secretario pronunciatum. &c.

Reuerendiss. Patres, persuasum est sanctæ Synodo eam lætitiam, quæ communis fuit cum omnibus Christiani populi nationibus, pro generalis huius sacrosancti Concilii celebratione, ad Prælatos quoq; Ecclesiæ vestræ Hungaricæ peruenisse: cuius singulare semper extitit studium, in iuuanda & conseruanda vera Christi religione. Nunc rogandus est Deus immortalis, vt quæ tanto bonorum omnium consensu inchoata sunt, ad optatos etiam exitus, pro sua benignitate, perducat. Optabilius quidem sanctæ Synodo fuisset, vt regni Hungarici Prælati ad hoc sacrum concilium personaliter accessissent: sed, quando iustis & legitimis de causis, cum grauissimo testimonio Illustrissimi & Reuerendissimi. D. Hosii Cardinalis Varnicensis coniuncto coguntur abesse, libenter illorum excusationem sancta synodus accipit, cum præsertim confidat fore, vt non multo minorem vtilitatem Christiana religio perceptura sit ex opera, quam ipsi suis Ecclesiis his turbulentis temporibus, pie & diligenter præstare poterunt: atque eo magis, quod res & negotia sua vobis optimis, & religiosissimis Patribus committenda existimarunt. Quod reliquum est, vos, & mandata vestra, pro vt iuris fuerit, læto animo amplectitur, atque admittit.

Finis Orationis primæ.

ORATIO ALTERA, AD SANCTAM

œcumenicam Synodum Tridentinam in sessione quinta, qui fuit dies Iunii mensis XVI. *habita à R.P.D. Andrea Dudithio Sbardellato, Episcopo Tinniniense, & D. Prælatorum, ac Cleri Hungariæ oratore*

M. D. LXII.

SI quanta est cœlestium diuinarumq; rerum dignitas atq; maiestas, quanta Dei Opt. Max. in humanum genus beneficentia, mortales animo cogitationeq; comprehendere, ac mentis aciem in clarissimam illam æterni Solis lucem defigere possent: tanta, tamq; incredibili voluptate perfunderentur, vt nihil his studiis potius ducerent, nullo alio mentes pabulo reficerent ac recrearent, nihil harum rerum contemplatione suauius, nihil iucundius, nihil beatius existimarent: illud etiam votis omnibus ab omnium rerum conditore Deo, dies noctesq; expeterent, vt in fœdum ac tetrum hunc corporis carcerem inclusum animum solutis vinculis educeret, ac, post longum hoc exilium, in cœlestem illam beatorum sedem, ac patriam transferret, vbi ex vberrimo illo diuinitatis fonte, omnem sapientiam haurire, atq; omnibus, quæ illinc largius promanant, diuinorum munerũ diuitiis sese perfundere, atq; adeo se totos in immortales illos thesauros cupidissime immergere atque ingurgitare possent. Atq; hoc quidem omnium mortalium esset studium, hoc vnum animos hominum magnis desiderii stimulis excitaret, atq; inflammaret, in hoc vno omnium euigilarent curæ ac cogitationes: si, vt paulo ante dicebam, mentes humanæ, ex impuro hoc cœno, ex caducarum rerum sordibus emergere, atq; ad diuinarum immortaliumque rerum contemplationem homines erigere sese, atq; attollere, & veluti cœlo capita inferre possent. Sed ita pulcherrimam, omnibusque diuinis ornamentis decoratam naturam nostram, primi parentis nostri lapsus deformauit, ita omnibus æternæ sapientiæ donis nudauit, ita perniciosa sui contagione errati contaminauit atq; afflixit; vt cœlestis patriæ, ac regni hereditate deturbati, omnibusq; bonis exuti, nihil iam prope aliud, quam v-

nam

nam tantum, eamque non plane certam consequendæ illius gloriæ, quæ eius culpa nobis erepta est, spem retineamus. O miserabilem humani generis sortem! ô luctuosum illum nobis diem, quo de tam alto dignitatis gradu deiecti, & in has angustias coniecti ac depressi sumus miserias! in execrando isto, ac detestabili primi parentis nostri errore factum est, vt abdita & penitus retrusa diuinitatis mysteria, ac clarissimam & pulcerrimam illam lucem, veluti degeneres quidam aquilæ fœtus, apertis oculis aspicere prorsus iam nequeamus; simulachrum autem, ac vix leuiter adumbratam diuinitatis imaginem, aut, vt verius dicam, impressa in rebus terrenis illius vestigia, non nisi longe, idque quasi per nebulam, ac densam quandam caliginem, contueri liceat. Vtinam vero, quando iam in eam nos ille miseriam secum pertraxit, hanc saltem nobis facultatem reliquam fecisset, vt, si vel tenuem illam, quam in diuinis rebus aspectamus lucem, dicendo explicare non possumus, at certe summam Dei in nos beneficientiam & cognoscere, & cognitam dignis laudibus, atque aliqua grati animi quantulacumque significatione prosequi possemus. Sed, ò miseram vndiq; nostram sortem! ne id quidem satis, pro Dei Opt. in nos meritis, ac pro tantæ rei dignitate perficere possumus: quin vero illud ipsum, quod possumus, non, nisi eius munere ac beneficio, possumus: ita, vt ne pro beneficiis quidem, nisi veluti nouo eiusdem beneficio cumulemur atq; adiuuemur, aut quas ei debemus, gratias agere, aut omnino loqui liceat.

Ita infinito quodam beneficiorum cumulo, ac singulari Dei erga nos clementiæ magnitudine vndique premimur, atq; adeo obruimur. Ac mihi quidem nunc ad Deum maxime confugiendum est, isq; suppliciter precandus, vt, quoniam ipse & voluntatem ad pręclaras res peragendas, & facultatem, pro immensa sua bonitate ac misericordia, humano generi largiri consueuit, mihi hodierno die in augustissimo hoc, & sanctissimo tot pstantium, ac summorum virorum cœtu, de sacrosancto Iesu Christi eius filii corpore & sanguine, in quo infinita eius erga nos beneficientia in primis elucet, breuissime dicere cogitanti, & mentem voluntatemque ad omnem alacritatem excitet, & os meum talium, tantarumque rerum maiestate iam tremebundum, ac titubans

aperiat, & Spiritus sancti gratię particulam mihi aliquam impertiatur, vt, si pro tantæ rei dignitate parum accommodate dixero, illud saltem eius beneficio, ac munere consequar, vt omnis ab oratione mea vanitas, omnis longe remoueatur impietas.

Vos vero, amplissimi viri, obsecro atq; obtestor, vt tam salutaris argumenti multis obstructā difficultatib. explicationē ita audiatis, vt neq; attentionē neq; benignitatē vestrā, qua inprimis fretus ad dicendū veni, in vlla orationis meę parte mihi defuisse intelligam. Imanis ille, & capitalis ac perpetuus humani generis hostis, qui tanquā Leo rugiens mortales circumit, quærens quem deuoret, nostris nondū miseriis satiatus, inueteratā illam suā consuetudinē, quam in primo parente, magno nostro malo, satis iā experti eramus, etiamnum retinens, non languet, non otio torpescit: sed vigilat, huc atq; illuc circumcursat, omnibus locis præsto adest, insidias collocat, laqueos ponit, omnem diligentiam adhibet, vt irretitos homines teneat, & in tenebricosum illum, atq; omni infelicitatis genere refertum carcerem suum præcipites rapiat. Etenim eam nobis felicitatem ille inuidet, cuius nos, ipso eiecto, à Seruatore nostro heredes instituti sumus. Quid autem? nihilne suis ille artibus proficit? O cæcas hominū mentes! Si nouus hic aliquis, ac nondum satis adhuc cognitus hostis esset, cuius dolos homines antea auditione tantum accepissent, nonnullam fortasse inertiæ, socordiæ, imprudentiæ, qua se tuerentur, excusationem habere possent: Sed cum veluti hereditarius noster quidam sit inimicus, qui non bonis, non fortunis, non mortali huic, & caducæ vitæ, sed æternæ felicitati, sempiternæ gloriæ nostræ insidietur: quæ tanta suæ salutis mortalibus est negligentia, vt eius fallacias effugere, dolos euitare, conatus eludere, impetus à se depellere ac propulsare nolit? Antea suis ille fallaciis, suis illecebris, parentē illum nostrū, nosq; vna ab æterna felicitate abstraxerat, & astu perfecerat suo, vt nihil iam nostro genere miserius fingi posset: Nunc summa Dei Opt. Max. in nos clementia, atq; vnigenæ eius filii misericordia redditam nobis cœlestis vitæ, gloriæque hereditatem inuadere, atque iterum eripere conatur, &, quos Christus sacrosancta sua morte ex diris eius faucibus per vim extraxit, nefarius ille, & insatiabilis animarum

qua-

quasi helluo quidam, iterum deuorare contendit. Quem enim alium tot in Ecclesia dissidiorum, tot factionum, tot contentionum autorem nominabimus, quam illum ipsum, qui omnis inanitatis est pater, omnis dissensionis, omnis discordiæ, omnis denique mali sator atque seminator?

Sed quomodo ad rem aggressus est? præclare ille quidem, & ad id consequendum, quod ad euertendam humanam salutem inprimis pertinere intelligebat, peraccommodate.

Nam, cum probe nosset, nihil se ante perficere posse, quam, si Christum ipsum non posset, at certe, quod proximum fuit, Christi in terris Vicarium aggrederetur, & Ecclesiam, cuius ipse Vicarius præsidiis ac viribus munitus esset, conuelleret: huc omnes mahinas admouit, vt, quanta maxima posset vi, vtriusq; autoritatem labefactaret, atque etiam, si posset, & quocunq; tandem modo posset, penitus euerteret, funditusque exscinderet.

Non ignorabat ille, si alterutrius dignitas firma, stabilis, inconcussaque consisteret, parum se promoturum, cum tanta vtriusque inter se connexio existat, vt non nisi vna & stare, & concidere posse videantur. Itaque totis in vtrumque viribus impressionem fecit. Ac primùm quidem summum in terris Ecclesiæ caput, tanquam fortissimum aliquod propugnaculum, adortus, quibus non armis, quibus non machinis ad oppugnationem vsus est? Postea vero firmissimam veritatis arcem Ecclesiam, cuniculis quibusdam actis prosternere conatus, eos ad eam rem administros ac satellites adhibuit, quos illinc, ob nefanda quædam patrata scelera, transfugas in sua deuolasse castra conspiceret. Ac cum firmiora adhuc sibi comparare præsidia, & quam posset numerosissimum exercitum, quo Ecclesiam oppugnaret, conscribere vellet: animaduertit nulla alia ratione maiorem se facinorosorum hominum manum cogere posse, quam si omnis sceleris, omnis impietatis impunitatem, tanquam amplissimũ quoddam suæ militiæ stipendium proponeret: quam rationem etiam in impurissima ac nefaria Mahometi secta excitanda, atq; propaganda secutus pridem fuerat. Itaq; repente veluti asylum quoddam aperuit, & omnis licentiæ, ad omnia perpetranda scelera, signum sustulit. Hoc sublato signo, Deum immortalem, quãta breuitem-

ui tempore, non modo lixarum & calonum, sed etiam ipsorum iam ducum multitudo ad eius vexillum conuolauit? quot hominum millia sacramento huic se militiæ addixetunt?

Ibi tum præclari scilicet illi ac generosi, & vel ipsis iam nominibus horribiles duces prodierunt, Lutherus, Melanchthon, Zuinglius, Oecolampadius, Osiander, Bucerus, Schvvenckfeldius, atq; alii innumerabiles. Atq; hi quidem, vt primum ex Ecclesiæ matris castris profugerunt, arma illa, quæ à matre acceperant, vt à vi eam tuerentur, (ô scelus!) impii, ingrati filii, in ipsius sanctissimæ, castissimæ, optime de se meritæ matris viscera contorserunt, & crudelissimis diuinum eius corpus vulneribus lacerarunt. Quid? hocne eorum furor ac rabies loco substitit? minime vero. Longius etiam progressi sunt, & in ipsa sacrorum adyta, ac veneranda mysteriorum penetralia, per summum scelus, per summam impietatem irruentes, rupto Christi Domini Testamento, sacrosanctum eius corpus & sanguinem, quem ipse, vt nos seruaret, profudit, ac perpetuum suæ erga nos charitatis monumentum ac pignus nobis in terris reliquit, scelerati isti filii de nostris manibus per vim extorquere conati sunt, ac quantum in ipsis fuit, conculcarunt atq; indigne protriuerunt. O impietatem! Vnicum nobis in aduersis rebus solatium, vnicam hanc & sacram anchoram, ad quam in tot, tantisq; humanæ miseriæ procellarum fluctibus confugeremus, excutiunt, ac de medio prorsus sublatam volunt. Nihil efficitis: non deseret suam Christus Ecclesiam, non eam suo destitutam auxilio vestris diutius sceleribus patere, neq; eam vestris amplius iniuriis expositam obiectatamque esse volet: vestros ille conatus, vestros impetus reprimet, debilitabit, franget.

Quod quidem, si nostra ille causa, pro quibus preciosissimum sanguinem istum suum, in quem vestri feruntur incursus, profudit, si nostra, inquam, causa non faciet: at certe sua ipsius causa faciet, ne tanta res tam indignis à vobis modis tractetur. Si reliqua vestra in hunc diem ferre potuit maleficia, neque ea statim vindicauit; quod Ecclesiam suam hisce ad patientiam malis exerceri, & electos suos hoc veluti igne quodam examinari ac probari voluit: vestrum istud tantum, tamque nefarium, & inexpiabile scelus,

ſcelus, ne erretis, inultum abire non ſinet. Neque vero poterit. Nam ſi ſummus ille, atque æquiſſimus eſt iudex, ſi ita iuſtus eſt, vt omnis iuſtitiæ, omnis æquitatis vberrimus quidam ſit veluti fons atque origo, quî fieri poteſt, vt in tam contumelioſos, & in ſuam carnem, in ſuum ſanguinem tam iniurios homines non animaduertat? Carnem ille ſuam, qui vere eſt cibus, & ſanguinem ſuum, qui vere eſt potus, panem illum angelorum à vobis proteri ſinet, ac de cœlo ſæuientes vos in ſe aſpiciet? O ſingularem ſceleratorum hominum confitentiam! ó nimiam audaciam! Nos vero, pater cœleſtis, qui improbi quidem filii, ſed tui tamen filii ſumus, eximiam atque incredibilem hanc tuam erga nos charitatem agnoſcimus, ac precioſiſſimum, omnibusq; diuinorum munerum theſauris affluens corpus, ac ſanguinem tuum, in terram proſtrati, ſuppliciter ac demiſſe veneramur. Neq; enim tua in nos ingens ignorare nos patitur miſericordia, quantum hoc admirabilis tui erga nos amoris ſit pignus; illudque plane perſuaſum habemus, huius cibi, hoc eſt, corporis tui eſu, & ſanguinis tui potatione, tali nos tibi nexu copulari, tamque indiſſolubili ac firmo quodam vinculo coniungi, nulla vt poſt hac vis abs te nos diuellere, aut abſtrahere queat.

Atq; hoc quidem ita eſſe, quis iam dubitare auſit? cum Chriſtum ipſum, Seruatorem noſtrum, audiat dicentem; *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo: Hic eſt panis ille viuus, qui de cœlo deſcendit, qui ex hoc pane manducauerit, viuet in æternum.* Iam quis tantæ huius beneficentiæ magnitudinem, aut animo complecti, aut oratione proſequi ſe poſſe exiſtimet? Ipſe vnigenitus Dei filius, ſumma bonitas, ſumma ſapientia, ſumma perfectio, noſtræ nihil opis indigens, quin potius vicem noſtram dolens, miſerabilis conditionis noſtræ miſertus, cum Deus eſſet (dictu mirabile) cum Deus eſſet, é cœleſti ſuo domicilio, noſtra cauſa, in has terras ſe demiſit, vilem hanc, & abiectam carnem noſtram, tamque ſordidam, atque indignis quibuſdam maculis imbutam veſtem induit, homo factus eſt: atq; vt diuinitatis nos ſuæ participes faceret, eamque nobiſcum communicaret, cum infinita noſtra ſcelera, nemo alius, niſi ipſe, qui infinitus & immenſus eſſet, expiare vnquam, vlla ratione poſſet, noſtram hanc

natu-

naturam assumsit. Ad extremum autem, vt in cœlestis patrię ciuitatem, è qua eiecti eramus, postliminio nos restitueret; vt deniq; Deos nos efficeret, acerbissimam pro nobis mortem, volens, libensque oppetiit, hostiamq; se, vt iratum & auersum à nobis Patrem placaret, in ara crucis, immolandum præbuit.

Postremo, ne quid omnino ad summam eius erga nos beneficentiam deesset, aut requiri à quoquam posset: cum iam antea illud ipsum, quod de nostro sumserat, nobis restituisset (quod tamen ne ipsum quidem nostrum dicere possumus, cum omnia ab eo accepimus, ac quod spiramus, quod viuimus, quod denique sumus, ipsi, qui ex nihilo nos procreauit, acceptum ferre debeamus) vt immortale hoc suum beneficium nobis cumulatius quodammodo redderet, humanam nostram naturam diuinitatis suæ temperamento perfecit, atque absoluit; & coniunctam, atq; in vnum iam concretam, admirabili quodam nexu humanitatem cum ipsa diuinitate nobis in sacrosancto hoc Sacramento vtendam fruendam reliquit. O admirandum! ò sacrum! ò salutiferum, & omni suauitate refertum conuiuium! in quo Christus Deus & homo perfectus nobis proponitur. Sed quo me rapit ardor? Nullum mihi cum impiis istis Satanæ satellitibus susceptum certamen est, qui ipsum Seruatorem nostrum (quod dicere horresco) vanitatis arguere non dubitant; qui quidem, ne quis vnquam existeret, nisi mentis inops, qui de sacrosancto hoc mysterio addubitaret, aut secus, quam fas esset, existimaret, ipse sanctissimos suos oculos in cœlestem hunc panem defigens, apertis ac disertis verbis dixit, *Hoc est corpus meum.* Non est mihi contra istos depugnandum; ipsi sibi, mihi credite, perniciem, ipsi sibi exitium afferent.

Est aliud quoddam nefariorum hominum genus, quos ad subruenda Ecclesiæ fundamenta malus ille Dæmon submisit. Hi vero, vt fucum facilius facere & imperitos homines ad defectionem adducere, atque in sua pellicere castra commodius possent, pietatem prætexentes, in angelos se lucis transformantes, nouo, & in vulgus plausibili quodam armorum genere matrem adorti, pro Christi se sanguine prælium inire, ac dimicare prædicant: Christi ereptum sibi esse sanguinem, imperita ap-

probante & acclamante multitudine, fremunt, eamq; ſibi depoſcunt. Ita incautas mentes in ſuas partes pertrahunt, ac, cum nihil minus cogitent, omnem ſe pro pietate, proq; conſeruanda vera & incorrupta Chriſtianæ religionis integritate concertationem ſuſcepiſſe perſuadent.

O ingrati filii! ò fidei deſertores! vnde vobis tanta tam ſubito ſapientiæ lux affulſit, vt ſapientiſſimam matrem veſtram, omnis omnino erroris expertem, erroris redarguere, & in denſiſſimis ignorationis tenebris demerſam iacere exiſtimetis? Vanus erit, veſtra opinione, Chriſtus, qui perpetuo ſe illi ad conſummationem vſque ſeculi affuturum pollicitus eſt? Quis furor, aut potius, quæ vos furiæ agitant? quæ vos intemperies, quaſi violento quodam flatu atque impetu, huc atque illuc, propellit? Vnitatis hoc, & pacis ſymbolum, atque arctiſſimum quoddam charitatis vinculum in Eccleſia Seruator noſter extare voluit: vos, proh dolor! hanc vnitatem diuiditis, pacem tollitis, vinculum disrumpitis. Veſtem illam inconſutilem, cuius nos tegumento ab omnibus turbulenti, & fluctuoſi huius maris tempeſtatibus muniti, ac tuti eramus, vos, vos, inquam, temere, nulla de cauſa, diſcidiſtis, atque adeo dilaceraſtis. Fuerunt tempora, cum ſapientiſſima mater noſtra Chriſti ſponſa, quæ à vera & recta ſponſi ſui ſententia ac voluntate nuſquam aberrat, filiis ſuis, in quibus priſtinum illum pietatis igniculum accenſum, & inflammatum conſpiceret, calicis vſum permitteret, & Chriſti, ſponſi ſui, ſanguinem etiam ſub vini ſpecie illis propinaret. Poſtea vero, cum antiquum illum pietatis ardorem reſtinctum eſſe, & religionis ſtudium in hominum mentibus refrixiſſe animaduerteret, multaque infanda per ſocordiam, ac negligentiam euenire cerneret, quæ ad tam precioſi ſanguinis iniuriam pertinerent: primò quidem illa calice filiis ſuis non ſtatim prorſus interdixit, ſed prudenti aliqua ratione oſtendit, magnum vitari nefas, & ſacrilegium poſſe, ſi ab eius vſu abſtinerent. Itaq; iam tum ab initio, cum hæc plurimum conſuetudo vigeret, vt populares quoq; ſub vini ſpecie Chriſti ſanguinem ſumerent, ex eis illi, qui eo in ſtatu eſſent, vt non niſi magno negotio ac ſumma cum difficultate cauere poſſent, ne aliqua, per imprudentiam, ſanguinem potantibus guttula efflue-

ret, atque ex ore delaberetur, ipsi se, sua sponte, prophanationis ac sacrilegii metu, ac fuga, ab hoc vsu remouerunt. In quo quidem præclarum & memorabile suæ pietatis ad omnem posteritatem argumentum trãsmiserunt. Ac sapienter illi quidem: nam & summa pericula hoc suo facto deuitarunt: neq; tamen propterea non omnem eam vtilitatem, ac totum illud, quod vtriusque speciei communicatione percipi solet, ad se non traduxerunt.

Non ignorabant illi æque sub panis, atque sub vini specie, totum Christi corpus esse; atque vtrumque tam alterius duntaxat, quam vtriusque specie contineri. Corpus enim viuum, quale illud esset, sanguinis expers, existimare nefas putabant: sanguinem item viuum, qualem illum esse non dubitabant, non nisi in corpore consistere plane persuasum habebant. Deinde vero, ne illud quidem nesciebant, Christi corpus in partes secari, ac diuidi non posse. Ex quo facile intelligebant, & sub pane, & sub vino, totum, verum, viuum Christi corpus, & sanguinem, non cadauer mutilatum, aut membratim discerptum, non cruorem existere.

Cum autem tanti, tamque admirabilis sacramenti aptam in pane & vino, ac cohærentem inter se connexionem, & non dissolubilem quandam quasi coagmentationem cogitatione satis assequi non possent: omni cum demissione ac pietatis testificatione, ex lætis illorum animis præclara illa vox erumpebat. *O res admirabilis! Manducat dominum pauper, seruus & humilis.*

Ad hæc illa etiam audiebantur:

Tantum ergo sacramentum veneremur cernui:
Præstet fides supplementum sensuum defectui.

Ad extremum autem, cum istorum imitatione, non ita multas post ætates, vniuersi pene Ecclesiæ filii, vt pietatem, & quem Seruatori suo cultum debebant, sartam tectam conseruarent, ipsi quoque à periculoso illo sanguinis potu paulatim sese subduxerunt, & illa hauriendi calicis consuetudine abrogata, hunc, non nouum quidem, sed non ab omnibus æqualiter vbique seruatum, panis tantum edendi morẽ vnanimi consensu receperunt. Ita factum est, vt iam inde à sexcentis & amplius annis, calicis vsu, omnibus fere, aut certe plurimis locis prorsus sublato, panis tantum comedendi consuetudo magno studio ac religione conseruaretur,

tur. Quieſcebat in ſumma tranquillitate totus pene terrarum orbis, cum ecce Satan communem & tam altam Eccleſiæ pacem inuidens, triſtem illam ex Erebi ſedibus Erinnim exciuit: &, vt ſumma imis permiſceret, atque omnia perturbaret, in Chriſti gregem immiſit. Tum vero Eccleſia portentoſi huius monſtri exortu perterrita, deque filiorum ſuorum ſalute magnopere ſolicita, cum ſponſi ſui ſanguinem non ad errorum expiationem, ſed ad impietatē, ad iniuriam, ad profanationem expeti videret, ne, ſi taceret, boni etiam, ſed tamen incauti filii in eundem, per imprudentiam, errorem prolaberentur, hanc ignominiam, hoc tantum ſcelus ferre diutius non potuit; Sed vocem ſuſtulit, ingens eſſe periculum denunciauit; quod vt vitari poſſet, ad laudatam illam priſtinæ pietatis conſuetudinem filiorum animos incendit, atq; vehementi quodam ardore inflammauit.

Non omnes tam piæ matris monitis paruerunt, non omnes dicto audientes fuerunt: ſed obedientia ſemel abiecta, in peſtilentis & pernicioſæ illius libertatis, cuius dux ipſe Satan eſſet, caſtra profugerunt: ac nullo honore, nullo cultu, nulla reuerentia Sanctum Domini proſecuti: nullum iam fingi poteſt tam magnum ſcelus, quod illi aut cogitatione non deſignauerint, aut etiam re ipſa aggredi dubitauerint. Continebat iſta ſe peſtis initio intra anguſtos illos vnius Bohemiæ fines, neque latius adhuc ſerpſerat, cum aduerſarius noſter, tanti huius mali contagionem ad reliquas etiam terrarum orbis partes deriuare cupiens, alium quendam ſuum ab inferis emiſſarium excitauit.

Hunc furiis percitum, ambitione tumentem, inuidiæ ſtimulis agitatum, ſanguinem, cædesque ſpirantem hoc tam præſenti veneno imbuit: quod ille poſtea in Germania, nobiliſſimo illo Eccleſiæ membro, ſpargeret, ac diſſeminaret, & tanti mali vi tabeſcentes miſerorum hominum animas ad tartara detruderet.

O incauta filia! Itane te facere oportuit? Vbi mens? vbi ſenſus? vbi præſtans illa tua virtus tum fuit, cum tam venenatum hoc, & virulentum poculum, fraudulenter ad tuam tibi perniciem propinatum tam auide hauſiſti? En tuo exemplo etiam alios fratres tuos ad ſceleris eiusdem ſocietatē inuitaſti, eodem communicato veneno illos infeciſti; infectos tecum vna perdidiſti.

Hanccine tu matri tuæ, pro ingenti eius in te meritorum magnitudine, post tot secula, gratiam refers? Illa te in densissimis impietatis tenebris demersam, erexit: illa Dei ignorationis caligenem ab oculis tuis discussit: illa veritatis tibi lucem intulit: illa ab impio te Satanæ cultu, ad veri Dei cognitionem traduxit: illa iratum tibi Deum conciliauit: illa diuinorum te munerum participem fecit: illa tibi Christi, sponsi sui, corpus & sanguinem proposuit: illa tibi cœlum denique ipsum patefecit: & tu, tantorum beneficiorum oblita, suauissimo obedientiæ iugo excusso, contemto Deo, salutis tuæ immemor, ad immanem illum aduersarium nostrum transfugis, in illius te castra recipis, illinc charissimam, atque innocentissimam matrem omnibus ignominiis, omnibus probris, omnibus iniuriis lacessis: illinc eam iniquissimis criminationibus laceras: illinc venenata in eam iacula torques. Non te piæ matris miseret? Non te fratrum tuorum gemitus, non lacrymæ, non preces mouent? tantæne animis iræ? itane ad omnem pietatem, ad omnem misericordiam obriguisti? itane te obfirmasti?

An ideo Imperii tibi ornamenta & decus tradidit? ideo summum atque altissimum dignitatis ac maiestatis fastigium apud te collocauit, vt tu, pro tantis in te meritis, omnia sua sibi ornamenta detraheres? è sua ipsam sede eiiceres, omnes tuas cogitationes, omnes vires, omnes copias ad eius euersionem conuerteres? Quis te adeo dementauit? quis te fascinauit? quis te in hos impietatis laqueos induit? Resipisce iam, resipisce, tibique ad imitandum propone præclara cum ceterarum omnium virtutum, tum vero etiam religionis, ac pietatis exempla, quæ in Principe tuo, optimo Imperatore Ferdinando, mirabiliter elucent: imitare eorum, qui plurimi etiam nunc apud te sunt, in catholica religione, ac pietate retinenda constantiam, ac fortitudinem, horum vestigiis, quæ ad certissimam salutem & gloriam reducunt, insiste. Redi, redi cum suauissima matre tua in gratiam: non vult illa te perditam; non erit amplius iniuriarum memor: omnia perpetua obliuione inuoluet, modo tu ad tuam te salutem erigas; modo eam agnoscas matrem: modo te dicto deinceps audientem præbeas.

Si spon-

Si sponsi eius sanguinem ita ardenter expetis, vt non satis habeas, vno illum modo tantum sugere: dabit illa tibi calicem quoque: permittet tibi, vt hoc altero etiam modo Christi sanguinem haurire queas. Redi, redi ad matrem: curre in charissimæ matris gremium: curre in eius amplexus. Viden' vt illa ardentissimis suspiriis, acerbissimisq; te lacrymis, ad se vocat? Viden' vt te apertis brachiis, vt obuiis vlnis auidissime expectat?

Si te perditam filiam recuperabit, omnibus lætitiis efferetur, exultabit, triumphos aget. De te vero quid dicam opibus olim, virisq; florens infelix mea patria? clarissima sanctissimorum Regum domus: quid de te dicam? Meministi tu quoq;, quid à matre tua Ecclesia acceperis?

Illa te aberrantem in viam duxit: illa tibi ad cœlos iter commonstrauit: illa te in cœlestis regni hereditatem adscripsit: illa tibi omnia virtutis ac pietatis ornamenta tradidit: illa tibi arma, quibus aduersus humani generis hostem decertares subministrauit: illa te omnibus ad illud certamen accommodatis rebus instruxit: illa, si quo casu succubuisses, victam erexit, recreauit, animos addidit, fortem & alacrem prælio restituit; contra vero si virtute tua hostem illum tuum superasses, victricem omni laudum genere ornauit, ad cœlum sustulit, omni commendatione, ac prædicatione prosecuta est: tuis illa Regibus prudentiam, consilium, virtutem suffecit: tuos illa Reges fortiter, constanter, & præsentissimis animis, aduersus communem salutis nostræ hostem belligerantes, post victoriam in cœlestem ciuitatem quasi triumphantes induxit, atque in beatorum numerum inseruit: illi tu salutem, illi omnia debes. Memineris antiquæ virtutis maiorum tuorum pietatis, constantiæ, in matrem Ecclesiam charitatis & obseruantiæ: ne te vlla vi abduci, ne te vllis vnquam ab eius gremio rationibus auelli patiaris. Illa tibi à suo spõso vires impetrabit: antiquam illam maiorum tuorum virtutem, & ingens animi robur, ac fortitudinem recuperabit. Illa suis apud Christum precibus perficiet, vt sæuissimum illud immanis Turcarum tyrannidis iugum tandem aliquando à ceruicibus tuis excutias: vt post diuturnam, miserabilemque tot annorum seruitutem in libertatem te vindices, vt te attollere, vt erigere, vt Christiani no-

minis hostes labefactare, frangere, populsare queas: vt post tot, tamq; difficiles labores exantlatos, summa pace ac tranquillitate perfruare: vt denique suauiter in charissimæ matris sinu conquiescas. Vos autem, amplissimi Patres, aberrantes filios vestros respicite: reduces libenti atque alacri animo excipite, complectimini, fouete: abeuntes omnibus, quibus potestis, rationibus retinete, fuga iam dilapsos blandis vocibus reuocate: manum reuertentibus porrigete, attrahite, omnis charitatis ac benignitatis significatione prosequimini: non tam iudices vos illis, quam parentes præbete, atque horum affectum erga illos plane induite: omnem ex animis vestris acerbitatem eiicite, omnem offensionem deponite, omnem iracundiam abiicite. Misericordiæ nunc tempus est, Christum misericordiæ, non vltionis Deum ante oculos vobis statuite, ignoscite errantibus, errorem deprecantibus subuenite, supplicum aliquando miseremini: sublatam de medio malis Dæmonis artibus pacem illam, quam Seruator noster sacrosancti testamenti sui tabulis consignatam, non multo ante, quam moreretur, veluti amplissimam quandam, & plane omnibus bonis circumfluentem hereditatem nobis reliquit, orbi Christiano restituite.

Videtis, nisi fallor, quantis discordiis, quantis dissensionibus, quantis odiis res agatur. Cernite, vt vestri se filii immaniter cruentent, vt mutuis se cædibus conficiant. Vbi illa vestra pietas, vbi charitas, vbi in filios vestros commiseratio? Adeste auxiliis, suppetias ferte, extinguite hoc tantum, tamque latum incendium, ne miserabili isto igne, totus terrarum orbis, vestra potissimum culpa conflagrasse videatur.

Huic vos rei tum demum obuiam ire poteritis, si imbecillitatis filiorum vestorum miserti, ad eorum vos infirmitatem demiseritis, & incredibilem illam eorum sitim, qua dies noctesq; cruciantur, quamprimum restinxeritis. Quod quidem non ante fiet, quam vos tantopere ab illis expetitum Christi sanguinem, hianti ore, siccis faucibus, summo cum desiderio expectantibus, non grauate præbueritis.

Ne committatis, Patres, vt tot populorum, tot nationum, tot insignium prouinciarum, tot nobilissimorum regnorum, quæ nunc

nunc eodem incendio absumuntur, inanem esse iacturam existimetis. Arctissimo hoc vnitatis, & pacis vinculo dispersas, ac dissipatas, & inter se pugnantes filiorum vestrorum mentes ac voluntates colligite: firmissimo hoc nodo discrepantes animos constringite.

Non vult Christus ita vos propositi vestri tenaces esse, vt propter hunc sanguinem, quem pro omnibus ipse profudit, tanta sit inter nos, tamque perniciosa animorum dissensio: quin potius propterea hunc sanguinem effundere, &, quod maximum est, ignominiosissimum mortis genus obire voluit, vt nos charitatis eius erga nos memores, coniunctissimis inter nos animis essemus, & quam concordissime viueremus. Ne cogitetis, Patres, eos, qui tanto studio, tanta contentione, tam ardenter Christi sanguinem expetunt, atque efflagitant, tam negligentes, tam impios futuros, vt, quod tanto ardore sibi dari postulant, & obsecrant, id non omni veneratione sint prosecuturi, non omnem ab eo profanationem longissime amoturi. In vestra propemodum manu est, vt à recta salutis via deflexos filios vestros, in viam iterum retrahatis. In vos omnium coniecti sunt oculi, à vobis vniuersus terrarum orbis salutaria documenta, optatam illam & iam diu cupitam pacem, concordiam, summam animorum, ac voluntatum consensionem auidissime expectat: vestram omnes fidem, vestram opem, vestram misericordiam implorant. Ne sitis ita implacabiles, atque inexorabiles. Succurrite labenti & iam iam ruituræ Reip. Christianæ, pacem orbi reddite, charitatem restituite, errantes & in alienis, atque adeo pestiferis pascuis vagantes oues vestras, in suas caulas congregate, salutari illas pabulo recreate. Eas vero, quæ nondum dispersæ passim omnibus campis, relicto grege, vagantur, summa diligentia continete, ne ab eis vel latum vnguem discedite, ne solas relinquite. Væ soli, inquit ille, quia si ceciderit, non habebit subleuantem. Quod si vero aliquo abiuistis, easque ad breue aliquod tempus reliquistis, summum est periculum, ne reditum vestrum procrastinate: redite ad vestras oues, omni celeritate recurrite. An nondum videtis, vt vestro desiderio æstuent? vt langueant? vos illæ miserabili balatu ad se reuocant: insidiantes & circa caulas oberrantes

tes lupos horrent, crudeles corporis sui laniatus pertimescunt: aliæ vero vestra absentia fieri posse existimant, vt luce illa sublata, quæ ipsis ex Christi præcepto, ad rectum salutis iter prælucere debet, in tenebris versentur, omnibus locis impingant, concidant, pereant. Vos illis in tantis tenebris erroris & inscitiæ, quæ vniuersum prope orbem contexisse videntur: vos, inquam, iam tandem clarissimum lumen præferte, densam hãc caliginem dispellite, veram illam lucem, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, omnibus conspiciendam præbete. Excitate vos ad vestrum officium: imo vero Christi domini vox omni vos ardore ad vestrum munus peragendum incendat atque inflammet. Reuocate in memoriam sanctissimas illas eius voces: *Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis.* Imitamini pastorem illum, qui aberrantem à grege ouem, summa diligentia ac studio perquisiuit: inuentam suis humeris sustulit: sublatam ad ceteras aggregauit. Quod quidem vos ipsos facere oportet: Non hoc per ministros munus recte perficitur. Non hîc aliena opera vtendum est: inuisum illud atque odiosum Seruatori nostro mercenariorum nomen hæc functio longe à se repellit: vos, vos ipsos postulat. Quod in vos ipsi facitis, quomodo ea, quæ paulo ante strictim attigi, perficietis? aut quomodo boni pastoris partes atque officium explebitis? quomodo, si longius ab ouibus vestris abfueritis, quod infirmum est, consolidabitis? quod ægrotum est, quomodo sanabitis? quomodo, quod confractum est, absentes alligabitis? quod abactum est, si non adestis, quomodo reducetis? quomodo, quod periit, si præsentes non estis, conquiretis? Iam vero, quomodo, si longius abieritis, mutuo inter vos voces exaudietis? quomodo pastor oues: aut illæ pastorem suum cognoscent? si ille oues, istæ pastorem suum, aut nunquam, aut raro admodum conspiciant? Date operam, Patres, ne illud in vos recte ac cum ratione cadere videatur: *Dispersæ sunt oues meæ eo, quod non esset pastor: & factæ sunt in deuorationem omnium bestiarum agri, & dispersæ sunt: errauerunt greges mei in cunctis montibus, & in vniuerso colle excelso, & super omnem faciem terræ: dispersi sunt greges mei, & non erat, qui requireret: non erat, inquam, qui requireret. Propterea pastores audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus*

Deus:

Deus: Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare eos faciam, vt vltra non pascant gregem. Pertimescite, Patres, exhorrescite vocem illam: *O pastor & idolum, derelinquens gregem gladius super brachium eius, & super oculum dextrum eius. Brachium eius ariditate siccabitur: & oculus dexter eius tenebrescens obscurabitur.* O acerbam, Patres! ó terribilem comminationem! Quæ omnia, vt quam longissime à vobis remoueatis, vt acutissimum illum diuinæ vltionis gladium nõ à brachio tantum vestro repellatis: sed vt etiam iugulum vestrum, cui ille, nisi dicto audientes estis, iam imminet, à sæuissimo illo mucrone subtrahatis: quod vestri officii est, facite, diuinæ voluntati atque imperio obtemperate. Quod ni facitis, cauete, ne in Dei viuentis manus incidatis. O terribiles! ò ineuitabiles diuinæ vltionis manus! Hinc, rebus feliciter, vt spes est, confectis, concitatissimo cursu domum iter arripite: lucem vestris ouibus præferte, ne in auia, & senticosa aliqua loca, ne in præcipitia deferantur. Sed quo rapior? Quid ago imprudens? Ignoscite, Patres, longius me orationis quasi quidem æstus abripuerat. Num sum nescius, quales vos sitis? Nihil mea ista cohortatione opus est, vestra vos sponte, amplissimi Patres, quæ vestræ sint partes optime intelligitis, & quod intelligitis nullo monitore, vestra voluntate incitati, & eximio charitatis ardore incensi, præclare, & summa cum omnium bonorum admiratione & prædicatione peragitis. Iam videor mihi videre illum diem, cum dimisso Concilio, præclaræ illæ & sanctissimæ voces ex ore vestro excipientur: cum alter certatim alterum summo studio ad suum munus inuitabit: cum mutuis vos cohortationibus, veluti stimulis quibusdam in hunc modum impelletis: Age sis, frater, eamus. Heus tu nunc iter ingrediamur. quid cessamus? pergamus, pergamus ad oues nostras, quas suo Christus sanguine redemtas, nostræ fidei commisit, quarum item sanguinem de manibus nostris requiret. Age nunc diligenter cognoscamus vultum pecoris nostri, nostros greges consideremus, in numerato nostras oues habeamus; agedum, nominatim eas vocemus, educamus ad pastum, sequentibus præeamus, luporum rabidos ab eis morsus arceamus, saluas & incolumes domum iterum reducamus: vt cum summus ille

Pastor rationem à nobis reposcet, intrepide in medium prodire, & his eum vocibus fidenter alloqui audeamus: En tibi, Pater, & his eum vocibus fidenter alloqui audeamus: En tibi, Pater cœlestis, quem mihi gregem tradidisti, eum ego tibi integrum conseruaui, tu illius miserere, & vna cum Pastore in optatam illam tuam sedem, & beatorum domicilium transferas, vt ibi dulcissimo tuo aspectu læti perfruamur, vt oculos nostros diuinitatis tuæ splendore, ac pulcritudine perpetuo pascamus, vt tibi sempiternas laudes, & gloriam in excelsis canamus, per omnia secula seculorum Amen.

Hæ duæ superiores orationes Illustris Dudithii, typis editæ sunt tum Lutetiæ Parisiorum, apud Ioannem Dalier, in ponte Diui Michaëlis, sub insigni rosæ albæ 1563. cum priuilegio: tum Venetiis ac Patauii. quæ sequitur oratiuncula siue sententia, dicta in Concilio Tridentino, ex manuscripto Dudithiano est exscripta.

ANDREÆ

ANDREÆ DVDITHII ORATIVNla habita in Concilio Tridentino, pro permissione Calicis in sacra Cœna, Anno 1562.

MAgnæ mihi inprimis gratiæ habendæ sunt, Illustrissimi Domini, Legati & Præsides, Amplissimique patres, qui mihi dicendi potestatem de re grauissima tam benigne & humaniter fecistis Nam etsi antea satis perspicere potuistis, quæ Cæsaris mens fuerit, cum à sancta Synodo Calicis permissionem pro regnis & prouinciis sibi subiectis petendam curauit; intellexistisque tam ex eo libello, qui Cæsareæ Maiestatis suæ nomine vobis oblatus est, quam ex accurata Illustrissimi Domini Mantuani primi legati oratione, iustis & necessariis causis Maiestatem suam adductam esse, vt hoc peteret: Tamen multum referre sum arbitratus, si eadem nunc Reuerendissimis Patribus exponerem, vt in ferenda sententia illud sequi possent, quod Dei gloriæ & Ecclesiæ Catholicæ dignitati atque vtilitati magis conuenire videatur. Quanta sit Ferdinandi Cæsaris pietas & religio, quantumque in Apostolicam sedem studium, & obseruantia, si nunc velim apud vos commemorare, maxime verendum esset, ne sanctæ Maiestatis suæ laudibus, quæ per se sunt clarissimæ, tenebras potius aliquas mea oratione offunderem, quam lucem & splendorem afferrem. Sed neque id apud vos, Reuerendissimi patres, necessarium esse iudico: siquidem aperte declarastis, quænam vestra esset de Cæsaris optima in Catholicam religionem voluntate opinio; cum nullo alio quam Cæsareæ Maiestatis suæ præsidio & autoritate muniti & tecti, tam frequentes tamque alacri animo in hanc Tridentinam vrbem conuenistis. Vnum igitur illud Reuerendas Paternitates vestras rogo, vt memoria repetant, nullum vnquam tempus fuisse, non solum postquam Cæsarea Maiestas sui Imperii gubernacula feliciter accepit, sed antea etiam, dum Carolus piæ & gloriosæ memoriæ Imperator Augustus viueret, in quo Ferdinandus Cæsar

de iuuanda Religione Christiana, & Catholicæ Ecclesiæ pace restituenda non cogitarit, atque in eam rem omnem suam curam & studium posuerit, ita vt quotiescunque opus esset, ne liberorum quidem vitæ & saluti, nedum fortunis atque opibus parceret; Ac profecto in eo maxime optimi Principis dignitatem & gloriam elucere existimauit, si operam daret, vt animi, religionis causa in Germania & sacræ Cæsareæ Maiestatis suæ regnis, misere distracti, in concordiam reducerentur, atque eam pacem & vnitatem profecto huius vitæ curriculo firmam ac stabilem posteris suis relinqueret. Quoniam vero Cæsarea Maiestas sua, longo rerum vsu edocta animaduertit, nullas alias grauiores esse contentiones & querelas, quam eas, quæ ob sacri calicis vsum interdictum ortæ sunt; idcirco, ne officio suo aliqua ex parte defuisse videretur, de hac potissimum permissione ad sacrosanctam Synodum referri voluit: qua quidem de re nos Maiestatis suæ oratores diligenter & accurate egisse sæpius, tum ex eo libello, de quo ante diximus, tum ex Illustrissimi Domini Legati Mantuani sermone intellexistis. Cum autem idem nunc à me sacræ Cæsareæ Maiestatis nomine iterum petatur, primum vobis, Reuerendissimi Patres, considerandum propono, an Christiana charitas postulet, vt nimiam seueritatem in seruando aliquo ritu retineatis, quo mutato sperare liceat, fore, vt non solum direptiones, vastationes, sacrilegia, cædes, in nobilissimis Christiani nominis prouinciis, verum etiam (quo nihil pretiosius esse potest) quam plurimorum animæ, quæ nunc in tenebris & vmbra mortis sedent, ad vitam, hoc est, Catholicæ Ecclesiæ gremium reuocentur. Quid? quod infinitus pene illorum est numerus, qui tametsi ab orthodoxa fide non omnino defecerunt, tamen ita infirmi sint, vt nisi hac permissione illis succurratur, nulla iam salutis illorum spes reliqua esse possit. Itaque cauendum est, ne ea vobis aptissime conuenire videantur, quæ dixit Dominus per Prophetam; *Quod infirmum fuit, non consolidastis: & quod ægrotum, non sanastis: quod confractum est, non obligastis: & quod abiectum est, non reduxistis, & quod perierat, non quæsiuistis, sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia.* Quare imitemur potius Seruatoris nostri clementiam & benignitatem, qui *venit, vt quære-*

quæreret oues, quæ perierant; & de quo dictum est, *arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet*. Præterea illud etiam cum animis Reuerendæ paternitates vestræ pro sua pietate cogitent, eam esse Turcarum immanitatem, Christianique nominis odium, cum summa potentia coniunctum, vt quemadmodum Cæsarea Maiestas perpetuum quoddam bellum cum eis gerere cogitur, ita certe, nisi communibus sacri Imperii & totius Germaniæ opibus iuuetur, à ceterisque regnis ac prouinciis, quæ suæ ditionis non sunt, pecuniæ & militum subsidia habeat, nullo modo possit imminentem calamitatem à Christianæ Reipublicæ ceruicibus depellere. Cum igitur Imperiales conuentus celebrentur, & de bello aduersus Turcas inferendo aut propulsando agatur, statim propositis quibusdam de religione capitibus, in quibus illud præcipuum est, vt calicis vsus omnibus communis sit, ceterarum rerum omnium grauissimæ consultationes in aliud tempus differuntur; Ex quo satis, credo, omnibus constat, tam magna incommoda & detrimenta Christianum nomen accepisse, vt nisi eiusmodi controuersiæ & dissidia (quod quidem permisso Calicis vsu consequuturum speramus) tollantur, atque ita aliquando communibus consiliis ac viribus tanto malo occurratur; breui iam, quod Deus auertat, vniuersam Hungariam & Germaniam immanissimorum hostium barbaries occupatura sit. Cum autem Germaniam dico, videant Reuerendissimi Patres, quid reliquis etiam finitimis prouinciis timendum fuerit. Verum illud postremo Reuerendissimi Patres attenti considerent, si quod vnquam tempus fuit, in quo vnquam communicandi ritum aliqua ex parte mutari oporteret, hoc certe maxime opportunum & idoneum videri. Cum enim Ecclesia consueuerit morem & ritum nouæ hæresi contrarium libenter amplecti & approbare, quod Leonis & Gelasii sanctissimorum Pontificum exemplo aperte declaratur, nemo iam dubitare potest, non solum recte, sed etiam necessario calicis vsum hoc tempore permitti, cum Sacramentariorum hæresis, quæ sanctissimæ Eucharistiæ veritatem omnino profanauit, tam late populorum mentes peruagata sit. Sed iam nihil opus est, vt omnia diligenter consectari videar, cum apud sanctissimos pa-

tres verba faciam. Superest nunc, vt pauca respondeam ad ea, quæ à nonnullis obiiciuntur. Graue aliquibus videtur, nullum adesse procuratorem & internuncium, qui, quemadmodum in Basiliensi Concilio factum est, populorum nomine hanc permissionem petat. Quibus ita respondemus, diuersam esse omnino illius & huius causæ rationem. Tunc enim integrum fuit regnum, à quo vsus calicis exposcebatur, & propterea necesse fuit certis procuratoribus & internunciis negotium dari: nunc autem nullus est populus, nulla integra natio, quæ hoc petat. Sed cum Cæsarea Maiestas intelligeret, à quamplurimis, qui imbecilliores in fide sunt, hunc vsum exoptari, qui tamen ad vnam aliquam ciuitatem aut gentem non pertineant, ac propterea non ignoraret minimo negotio fieri posse, vt indies multi ad Ecclesiam Catholicam redirent, si hoc tantummodo sibi remitteretur; satis fuit suis oratoribus mandasse, vt Cæsareæ Maiestatis suæ nomine, hoc ipsum à sacra synodo peterent. Sunt etiam, qui mirentur, cur hoc à sanctissimo Domino nostro non postulatum aut non impetratum fuerit. Quibus facile est respondere, prudentissime sanctitatem suam huius causa cognitionem ad sacræ synodi iudicium reiecisse: Primo vt hæreticorum ora obstrueret, qui nunquam non solent Pontificum legitimam potestatem in inuidiam vocare, quasi ipsi velint omnia suo arbitratu moderari ac regere. Deinde ne videretur Constantiensis concilii autoritati temere aliquid derogare. Præterea, vt quemadmodum generalis Concilii decreto calicis vsus interdictus fuerat, ita rursus generalis etiam concilii definitione quibusdam permitteretur. Ad hoc, vt sanctitas sua Reuerendissimis patribus existimationi & dignitati inprimis consuleret. Valde enim decere arbitrabatur, vt cum totius religionis constituendæ causa conuenissetis, hanc disceptationem, quæ & grauissima merito videretur, & ad componendas Ecclesiæ discordias magnum momentum afferre posset, vobis committeret. Verum ne quis dubitare possit, quid de hac nostra postulatione sanctissimus Dominus Noster sentiat, illud vere affirmo, me ex vrbe literas accepisse, quibus nunciatum fuerit, causam à sanctitate sua non solum honestam & iustam, sed vsque adeo necessariam

riam

riam iudicatam esse, vt in longius tempus sine maximo Christianæ religionis incommodo differri non posse existimarit: Ac propterea in optimam partem accepisse, cum intellexit, me tam diligenter Illustrissimis Dominis legatis instare, vt de hac causa ad sanctam synodum referretur. At vero, vt omnes scrupuli ex animis Reuerendissimorum Patrum eximantur, si forte timeant, ne in huiusce rei vsu & tractatione scandala aliqua & offensiones oriantur, audebo iam vel periculo meo polliceri, ordinarios in suis diœcesibus, tanquam sedis Apostolicæ delegatos, diligenter curaturos esse, vt leges & conditiones omnes seruentur, quæ ab hac sancta synodo præscriptæ fuerint. Nam cum de omnibus Catholicæ Ecclesiæ prælatis recte sentire debeamus, tum vero harum prouinciarum Episcopi cum vestra benignitate maximis querelis & contentionibus liberati fuerint, verendum non est, ne tantum beneficium omni diligentia & pietate tueri velint & studeant. Sed vt finem dicendi faciam, illud breuissime Reuerendissimos Patres admonebo, multo optabilius futurum, ne vnquam sacrosancta hæc synodus cogeretur, quam in animum vestrum inducatis, nihil esse hominum imbecillitati, turbulentis hisce temporibus, remittendum ac condonandum.

Atque hæc quidem Dudithius tum temporis, vt personam in illa scena sibi impositam sustineret: sed quid postea de tota actione & Concilio Tridertino, vero & certo animi iudicio statuerit, apologia sequens ad Maximilianum II. Cæsarem demonstrat, ex autographo descripta, fide optima.

ANDREÆ

ANDREÆ DVDITHII EXCVSATIO AD *Serenissimum Romanorum Imperatorem* Maximilianum II. Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ Regem, &c. *In qua rationes adfert, quamobrem Episcopatu Quinque-Ecclesiensi, & aliis honoribus abdicatiis, vxorem duxerit.*

VTinam temporum & rerum mearum ratio tulisset, *Clementiss. Imperator*, vt quæ nunc absens scribere cogor, antea coram viua voce explicare licuisset. Sed non licuit. Patebat mihi quidem ad te aditus, quæ tua semper erga me fuit singularis quædam clementia, quoties mihi pro muneris mei ratione, quo apud te fungebar, dicendum aliquid esset, siue de meis, siue de publicis rebus, nunquam tu me non libenter disserentem audiebas; quin ita te mihi semper facilem, ita benignum præbebas, vt magnam homines tuam erga me clementiam, magnam vicissim meam in te fidem, atque ad omnia iussa exequenda alacritatem, non obscure animaduerterent. Non ignota loquor. Quid igitur causæ fuit, quamobrem ego, vt semper antea solitus fui, siue priuatim tecum, siue publice in senatu agerem, libere sententiam dicerem: ita hoc quoque tempore in hac etiam causa consilium de vitæ instituto meum audacter tibi coram non patefeci? Impediebant multa, Clementiss. Imperator, & ne huius generis sermones tecum haberem, vehementer deterrebant. Quin etiam nunc longo abs te terrarum interuallo dissitus, non equidem, quid ad te scribam, sed quemadmodum scribam, ita gratiam mihi tuam, qua nihil optatius habeo, perpetuam conserues, vt non facile reperire possum. Deesse quidem certe non potest, de quo scribam, in re, quæ & noua & inopinata multis, atque auditu iniucunda accidet, quæq; in multorum partim maleuolorum, partim superstitiosorum, partim etiam ambitiosorum hominum reprehensiones incurret. Verum in causa non inuidiosa modo in vulgus, sed iam etiam hominum partim potentissimorum, partim eruditorum iudicio, per summam iniuriam contra DEI & naturæ leges damnata, quo scriptio-

ſcriptionis genere vtar, quod tuas aures minime offendat, mihi quidem non facilimum eſt inuenire. Vereor enim interdum, ne vbi percrebuerit hominum ſermonibus, Andr. Dudithium Epiſcopum Quinque Eccleſiarum non mediocris dignitatis & exiſtimationis in Repub. gratia quoque & autoritate apud te, tum vero apud Diuum Ferdinandum, patrem tuum, inprimis florentem, neglecto Pontificis Romani imperio, ſpreta longi temporis conſuetudine, poſthabita multorum autoritate, qui ſe ſcientia religionis, peritia iuris, cognitione vetuſtatis excellere profitentur, vxorem duxiſſe, grauius quam oporteat, hoc nuncio tuus animus commoueatur. Reſiſtere enim gratiæ potentium, non frangi eorum autoritate, qui ſe ſapientes haberi volunt, non cedere rationibus, tametſi ex calumnia iuris & mala allegatione vetuſtatis ducantur, denique ex qualibet conſuetudine, cauſæ præiudicium non facere, ita magnum eſt, vt neque horum temporum neque morum eſſe videatur. Hæc me cura quidem, Clementiſſ. Imp. vehementer agit, ne tu quoque his ratiocinationibus eum apud te locum eſſe patiare, vt factum hoc meum tacite tecum reprehendas. Sed illud me viciſſim maiorem in modum recreat, quod perſpectam habeo incredibilem ſapientiam & æquitatem tuam, quibus tu virtutibus ornatus, non committis, vt aduerſariorum criminationibus diuina tua mens occupetur, nihil ſtatuis, niſi contrariarum rationum ponderibus diligentiſſime examinatis. In hac vero cauſa mea exiſtimo te ita animatum eſſe, vt nullam in partem ſinas te incitari, in quam non te veritas ipſa ducat, quæ non ex puteo illo, in quo demerſam aiebat latere Democritus, ſed ex literis ſanctis, & incorrupto more maiorum, in quibus Deus eam incluſit, eruenda, atque in apertum proferenda eſt. Itaque cum hoc metu me pene liberatum eſſe ſentiam, prudentia & æquitate tua, non id nunc agam, vt nihil à me temere, nihil, niſi conſiderate & iudicio factum demonſtrem, (quanquam id quoque poſterius ſuo loco oſtendam) ſed in eo verſabitur oratio mea, vt cauſas exponam, quamobrem te huc vsq; celarim conſilium meum, & per literas hoc tempore tecum omni de re maluerim agere, quam coram, cum licuit omnem tibi ſenſum animi mei aperire. Hic

E enim

enim me inprimis metus sollicitat, ne propterea me tacite reprehendas, & secus de me iudices, quam fides erga te mea satis iam tibi cognita & perspecta, quamque integritas mea postulat. Quare eripienda tibi quamprimum hæc cogitatio est, si modo animo tuo insedit eiusmodi aliqua de me existimatio; quoniam nihil acerbius mihi potest accidere, quam si factum aliquod meum, cuiusmodi illud sit, damnetur iudicio tuo, quod non tam beneuolentia in me tua & meritis, quæ, quoad viuam, gratissima memoria celebrabo, quam sua vi & momento grauissimum mihi semper esse debet. Quapropter dum rationes percurro, cur à me officium non esse prætermissum contendam, quod te rationem instituti mei eousque celauerim, donec absoluta legatione mea, missionem ab aula tua Cæsarea impetraui, supplex à te peto, vt benignas mihi attentasque aures præbeas. Si tibi voluntatem meam, Clementiss. Cæsar, iam inde ab initio declarassem, probabile est, vt nihil aliud, te, si non iudicio tuo, at propter respectum, quem ad Pontif. Max. atque eius cultores habiturus eras, non fuisse sententiam meam probaturum; quod si accidisset, longius etiam forte progressus fuisses, atque ab instituto vitæ meæ cursu aliqua me ratione retraxisses, aut certe consilia aut cogitationes meas potentia atque imperio tuo perturbasses. Quo futurum fuerat, vt ego Dei Opt. Max. voci & iussioni, quæ à multis iam annis animi mei conscientiam acerbissimis quibusdam stimulis impellebat, prorsus non obtemperarem, aut certe anteactæ meæ vitæ emendationem de die in diem, non sine graui salutis meæ periculo, proferrem, & tibi magis, quam Regi regum, & Domino dominantium, cui te æque, ac me, parere necesse est, dicto audiens essem. Quo quid fieri poterat, quod Christianæ religioni, & mentis meæ tranquillitati magis aduersaretur? Quod ad corpus quidem attinet, cuius, etsi non præcipua, aliqua tamen ratio ducenda est, neque temere periculis obiiciendum, nisi cum id Dei gloria postulat, à te quidē fortasse nullum ei exitium procuratum fuisset: Sed si propositum meum in vulgus emanasset, in magnum etiam vita ipsa mea discrimen, malorum hominum studio atque opera, vocata fuisset. Iam vt primum huius mei coniugii fama Pontificiorum aures peruagata esset, Deum immorta

morta

mortalem? quanta mihi moles inuidiæ sustinenda fuisset, quanto in odio & vituperatione fuisset nomen meum? tanto scilicet, quanta prius laude gratiaque viguisset. Quanta concursatio, quanti clamores extitissent, quantus denique tumultus à superstitioso isto hominum genere excitatus fuisset? Quo ore me iis obtulissem, quorum animi, cum infecti sint corruptissimis superiorum annorum sententiis, quorundam Pontificum libidinem pro ratione, inueteratam consuetudinem, quamuis prauam, pro lege ducunt? nemo profecto, qui palam & libere veritatem velit defendere, præbere iis os potest, nisi ad contumeliam. Qui maximi probri & sceleris loco habēt, vel minimum ab iis spatiis, quæ maiores nostri decurrerunt, vestigium flectere, quibus me oculis adspexissent? Non modo inimici, qui ignominia mea lætarentur, sed amici etiam ipsi, quibus quidquid mihi secus accideret, dolori esset, infestis me luminibus intuerentur. Tantam vim habet ad dissociandos animos religionis opinio.

At fructuosum fortasse fuisset exponere consilium meum. Nihil minus vtile mihi euenire potuit. Omitto pericula, omitto quotidianos metus, de quibus paulo post dicturus sum. Id demum vtile mihi videtur, si quid possum efficere, in quo fidem, operam, studiumque meum perspicias. Si, quæ animo agitabam, extulissem, omnis mihi repente facultas nauandæ tibi in posterum operæ ademta profecto fuisset, qua tametsi facile carere te posse scio, (non enim vel mea imbecillitas, vel tuæ copiæ ignotæ mihi sunt) tamen studium tibi meum declarare, quoad licebat, quocunque in negotio mirifice gestiebam. Quod ne ipsum quidem consequi potuissem, si alieno tempore sententiam meam, de mutando vitæ genere, declarassem. Sed, vt à me discedam, & vtilitatis meæ rationes circumscribam, & quem fructum afferre tibi potuit sententiæ meæ diuulgatio? Equidem nihil reperio, quod te iuuare potuerit; multa, quæ perturbare & offendere. Ante omnia, conquieturumne Pontif. Max. fuisse credis? An ille conquiesceret, qui summum in Imperatores & Reges omnes imperium sibi vendicat? Repete animo Friderici Barbarossæ clariss. & fortissimi Imperatoris indignissimum casum, & multorum aliorum, quos Romani Pontifices indignis-

ſime tractarunt. Si in Imperatores, quos colere debebant, quorumque munificentia ad tantas opes peruenerunt, tam ſunt inſolentes, quid in me facturum fuiſſe Papam putas, hoc nuncio accepto, & tota re multis calumniis ab eius aſſeclis exagitata?

Omnes, qui vbique ſunt, Epiſcopos in mancipiis ſuis numerant, & eodem iure credunt eſſe, quo ſunt ii, quos de lapide emtos, viliſſimos ſeruos veteres Romani æſtimabant. In hos, vt in omnes homines alios, vitæ necisque poteſtatem ſibi arrogant, & quos conſeruos & collegas eſſe Paulus, ceterique Apoſtoli voluerunt, his auare, crudeliter, denique tyrannice dominantur. Si ad nutum eorum, qualicunque in re, quiſpiam veritatis amans, & retinendæ Eccleſiaſticæ dignitatis ſtudioſus, ſe non conuerterit, hunc iactatum contumeliis, oneratum calumniis, notatum ignominia, vinculis conſtringunt, exilio puniunt, morte denique acerbiſſima mulctant. Non ſatis eſt, non his terminis eorum furor definitur. Ad turbandos manes ſepultorum progreditur eorum feritas, refodiuntur oſſa, diſiiciuntur cineres, &, quem terminum, vt vitæ, ita miſeriarum natura conſtituit, vltra eum terminum in homines innocentes Paparum graſſatur immanitas. Quod genus atrocitatis neſcio an ab vllo veterum tyrannorum, quorum eſt prodita literarum monumentis diritas, in vllum hominem vel infeſtiſſimum vſurpatum ſit. Ita non modo omnium tyrannorum diritatem Papę ſuperat crudelitas, ſed etiam omnia naturæ iura planiſſime perfringit. His illi tamen artibus firmari ſibi regnum putant, ignari non ſuperbia, non crudelitate, non terrore ſuppliciorum, ſed modeſtia, manſuetudine, doctrina, bonis moribus, & parandam, & conſeruandam poteſtatem eſſe. Iſti vero, quibus prope nihil præter dominationem & opes propoſitum eſt, ab hac ratione vehementer abhorrent, omniaque malunt ruere, quam quod iniuſte occuparunt, iuſte dimittere. Ambitione tantum mouentur & auaritia, veram autoritatem & poteſtatem à Chriſto proficiſcentem quemadmodum conſequantur, & vere tueantur, non curant. Itaque homines ſæpe perditiſſimos, & multis cum facinoribus infames, tum flagitiis coopertos, quos cupiditatibus ſuis opportunos eſſe credunt, ſummis ornant honoribus. Quos viros bonos

bonos

bonos & egregie doctos sciunt, sed tamen libere sentire & loqui, quæ sentiant; neque vlla vel verecundia Papalis maiestatis vel minis, vel pollicitationibus à suscepta defensione veritatis deduci, hos, cum leuissimi sunt, obscuros & abiectos esse sinunt; si paululum exarserint, apponunt de suo sinu accusatores, denique omni suppliciorum genere excruciatos mori cogunt. Cuius enim opem miseri implorent? quo se conuertant? sedet is iudex, qui summam sibi omnium rerum in omnes homines potestatem vendicat, à cuius sententia prouocatio nulla concessa est. Circumuenitur reus iniustis iudiciis; accipienda necessario iniuria est: multa in te crimina confert accusator, multis criminibus comdemnere necesse est. Quis enim euadendi locus relinquatur in eo iudicio, quo is, qui te accuset, idem de te sententiam laturus sit? Hæc cum in Papatu rerum sit administratio, hæc iniquitas, hæ ad perdendos homines excubiæ, nonne putandum est, Clementiss. Cæsar, assiduis eum te nunciis & literis fatigaturum fuisse, vt me sibi ad supplicium dederes? Nullum ille, mihi crede, neque finem neque modum interpellandi tui fecisset. Ac tametsi non diffido bonitati, clementiæ & iustitiæ tuæ, certoque scio te Papæ libidini & crudelitati non suffragaturum fuisse: tamen ille tibi molestus quotidianis interpellationibus fuisset. Ego vero implicari te vlla molestia, mea causa, nolui, neque importunis Papæ efflagitationibus obtundi: nam, vt omittam pudorem meum, qui me nemini grauem esse sinit, nedum tibi ita de me promerito, ne illud quidem non videbam, de duobus alterum euenire necesse esse, vt vel summe inuidiosum tibi foret apud Papam, omnesque eos, qui Papæ nutum sequerentur, si me tegere tuis opibus, & præsidio in hac causa instituisses; vel, si abiecisses apud omnes Principes & nationes, quæ ab intelligentia veræ religionis non abhorrent, & inprimis apud Germanos principes excitandæ & renouandæ veritatis minime gratiosum. Atque hæc vna causa est, Imperator, cur toties à te missionem iam inde à biennio petierim, toties omni Reipub. procuratione deposita, ab aula me abducere, & priuatum me esse velle dixerim, idque vt te libente facere possem, omnibus à te precibus contenderim. Prospiciebam enim, quanta tempe-

stas à

stas à Papa excitanda esset, hac re diuulgata, quamque tibi molestus de me futurus esset, facilime animo poterá augurari; nisi forte credere malumus, qui summos homines, & omni genere laudis præstantissimos non tam ad dicendam causam, quam ad tormenta euocarit, propterea quod à se leuissime in communi Religionis negotio dissentirent, eum mihi parciturum fuisse, qui neque conferendus cum illis sum vllo genere ornamentorum, neq; leui aliqua in re, sed, vt ipsius est opinio, longe grauissima offendi, quod sanctum matrimonium diuinitus hominibus omnis ordinis, qui eo egerent, concessum, impuro cælibatui anteponendum esse censuerim. Non ita est, Imperator, non est profecto, nunquam tanta mansuetudo, tanta moderatio, tanta placabilitas à Papa expectanda fuit. Non consentanea est hæc lenitas cum eorum instituto, non cum moribus, non cum legibus, non cum exemplis.

Verum demus in aliquem fuisse aliquando non iniquissimos, quod tamen memoria superiorum annorum, & omnium conscientia præsentium exemplorum refellitur: de me profecto, non nisi inhumanissime & contumeliosissime decernere potuerunt. Non enim recenti flagrant odio nominis mei, sed veteri etiam inde ab eo nato tempore, cum concilio Tridentino, quod nouissime est habitum, D. Ferdinandi Cæsaris, parentis tui missu, pro Hungariæ patriæ meæ Ecclesia interfui. Nam qui scirem, quæ ratio vetustissimorum conciliorum fuisset, & intelligerem, quid hæc tempora, in quæ tanta perturbatio religionis incidisset, exposcerent, dicebam libere, quæ quaque de controuersia diligentissime cogitanti, & eruditorum commentarios peruolutanti in mentem venerant, neque meæ sententiæ cuiusquam vel gratia vel metus moderabatur. Quo in proposito cum persisterem (nam me suo nomine ipsa veritatis indagatio, concordiæque molitio delectabar) sensi non obscure, offendi eorum animos, qui nihil pro sententia dici vellent, nisi quod ad Papæ voluntatem dirigeretur. Ego tamen pro eo, quod antiquissima mihi erat cura vindicandæ, quantum in me esset, veritatis, ad cuius equidem lucem iam tum oculos, veluti è graui quodam somno excitatus, attollebam, iniustissimis querelis ho-

minum Papæ ancillantium ab instituto meo non sum deterritus, neque, vel personam abieci, quam mihi Deus ad tempus imposuisset, vel stationem meam deserui, in qua me sapientissimus Imperator collocasset. Qua re ab illis animaduersa, nomen meum ad eum, qui tum dominabatur, Papam deferunt, neque me respicere eius gratiam in dicendis sententiis, & parum esse reuerentem Pontificiæ sanctitatis criminantur. Quæ cum bonis autoribus comperta haberem, non solum non restingui mihi & languescere, sed inflammari etiam & excitari vehementius studium retinendæ libertatis cœpit. Quo factum est, vt, cum in disceptationem venisset, an altera pars Eucharistiæ vulgo, & vt ipsi vocant, Laicis concedenda esset, & iam in eam sententiam itum esset, vt ne concederetur, ego ita contra pugnauerim, & tanta contentione dixerim, vt præter morem, repugnantibus fere omnibus, iterum ea de re, de qua iam senatusconsultum factum esset, ad Patres referretur, & denuo sententiæ rogarentur.

Extat typis euulgata mea sententia, ac petitio testis meæ voluntatis. Quid multa? cum plura non pateretur nos consequi Episcoporum nimia seruitus, & superstitio, illud saltem perfectum est, vt in ea verba decretum hac de re conciperetur, ex quibus effici potest, concilium illud calicem Laicis non denegare, sed velle, vt id à Papa, quibus opus esset, permitteretur: vt vel hinc facile animaduertas, eos, nisi sibi timuissent, prorsus concessuros fuisse: quo tamen decreto plerique omnes Episcopi, stipendiarii præsertim eius, malam apud illum gratiam inierunt. Videtur enim Pontificiæ autoritati nonnihil esse detractum, quod concilium illi leges ponere hac ratione videatur, cum ipse, immerito sane, & præter omnem humanam atque diuinam rationem, concilio tamen superior & esse & haberi velit. Atque de Calice quidem hic exitus rei fuit.

De sacerdotibus non prohibendis coniugio item disserere habebam in animo, & me velle præ me ferebam, occasionem tantummodo auide expectabam. Testanda enim fuit restituendæ disciplinæ, renouandi exempli veteris cupiditas; etsi quantum profecturus essem, non ignorabam. Quid enim profici potuit in

eo

eo concilio, in quo numerarentur, non suis momentis ponderarentur sententiæ? si causa, si ratione pugnandum fuisset, si pauci quidam socii nobis adfuissent, viceramus, quamvis pauci, magnas copias aduersariorum: sed cum numerus tantum prodiret in aciem, quo longe inferiores futuri fuissemus, in optima causa victores discedere non potuimus. Singulis nostrum centenos de suis Papa potuit opponere: ac, si centeni parum multi viderentur, repente mille creare potuit, quos suis laborantibus subsidio mitteret. Itaque videre erat, quotidie famelicos & egentes Episcopos, ex maiori parte barbatulos adolescentes, luxuq; perditos Tridentum volitare, conductos ad sententiam secundum Papæ voluntatem dicendam, indoctos illos quidem, & stolidos; sed tamen impudentia, & audacia vtiles. Hi cum ad veteres adulatores Papæ accesserant, tum vero victrix exultabat iniquitas, neque decerni iam quidquam potuit, nisi in eorum sententiam, qui Papæ potentiam, luxumque defendere, summam religionem arbitrabantur. Erat aliquis vir grauis & eruditus, qui tantam indignitatem ferre non poterat, hic, vt non bonus Catholicus, terrore & minis ac insectatione à Concilio ad probandum, quæ nollet, traducebatur. In summa, in eum statum res est adducta, istorum, qui illuc facti institutique venerant, improbitate, non vt iam Episcoporum, sed laruarum, non hominum, sed simulacrorum, quæ neruis mouentur alienis, vt Dædali statuæ fuisse perhibentur, concilium illud videretur. Erant episcopi illi conductii plerique, vt vtres, rusticorum musicum instrumentum, quos, vt vocem mittant, inflare necesse est. Nil habuit cum illo conuentu S. Spiritus commercii, omnia erant humana consilia, quæ in immodica, & sane quam pudenda Pontificum tuenda dominatione consumebantur. Cursitabant Romam noctе dieq; veredarii, omnia, quæ dicta consultaq; essent, quam celerrime ad Papam deferebantur. Illinc responsa tanquã Delphis aut Dodona, expectabantur: illinc nimirum spiritus ille S. quem suis Conciliis præesse iactant, tabellarii manticis inclusus, mittebatur: qui, quod admodum ridiculum est, cum aliquando, vt fit, aquæ pluuiis excrescebant, non ante aduolare poterat, quam inundationes desedissent. Ita fiebat, vt Spiritus non super aquas

quas, vt eſt in Geneſi, ſed ſecus aquas ferretur. O portentoſam & ſingularem dementiam! Ratum nihil eſſe poterat, quod Epiſcopi, tanquam plebs, ſciſcerent, niſi Papa autor fieret. Quin etiam referebant legati Pontificii qua de re Papa agi vellet, & ſuis illis, quibus hoc nomine ſtipem menſtruam pendebant, (ii autem erant plurimi egentes, ex non opimis Italiæ ciuitatibus, & alii fictitii quidam Epiſcopi, qui ciuitates nullas, nomen tantum retinebant) de Pontificis mandato præſcribebant, à quibus diſcedere capitale habebatur. Quo quid magis ridiculum, aut contumelioſum in ceteros Epiſcopos eſſe poſſit?

Quid enim eſt eripere homini ius ſuum, omnemq; omnium poteſtatem ad ſe rapere, ſi hoc non eſt? Si nihil reliqui Epiſcopi ſine Papa poſſunt ſtatuere; Papa ſine ceteris Epiſcopis, omnia, quid agere concilium opus fuit? quid ſanctiſſ. Imperatorem, quid ceteros Principes, quid omnes nationes expectatione concilii ſuſpenſas tenere, exitu ludificari? Non quid Papa vellet, quærebatur (non enim erat hoc quidem dubium) ſed componenda erat multis ſectis diſiecta religio, & inprimis infinita Papæ licentia & arrogantia, legum vinculis ſuiſque finibus coërcenda. Quod quemadmodum fieri poſſit, ipſo Papa in ſua cauſa iudice, non dubito, quin per te intelligas. Etenim ſi vere reputare volumus, omnique ſemota perturbatione animi iudicare, inueniemus, nihil aliud eſſe cauſæ, cur in Eccleſia Dei ad hoc vſque tempus, poſt tot diſputationes & colloquia, concordia conciliari nequierit, quam quod Papa penes ſe vnum vult eſſe arbitrium omnium controuerſiarum, ipſe nullius ſe iudicio permittere, ne conſentientis quidem orbis terrarum vniuerſi. Quæ fuit etiam grauiſſimorum in Orientis Eccleſia, & ſanctiſſ. virorum literarum monumentis mandata ſententia, qui omnis diſſidii & Eccleſiarum diſtractionis hanc vnam & fuiſſe antea, & eſſe etiamnum cauſam vere demonſtrant. Hæc in concilio cum notarem, neque, tametſi fraudi mihi eſſe libertatem intelligerem, diſſimulare tamen vllo modo poſſem, incurriſſe me in odium non illius modo Papæ, qui tum viuebat, ſed etiam iſtius, qui illi ſucceſſit, exiſtimare potes. Eſt enim mirifica quædam in iſto hominum genere morum conſenſio, & autoritatis Pontificiæ

per fas perque nefas retinendæ studium. Et hic, qui iam regnat, tum Inquisitorum, vt ipsi loquuntur, collegio præfectus erat; homo in iis, qui ab Ecclesiæ Romanæ placitis discessissent, excarnificandis, & ad supplicium vndique contrahendis immanissimus & sanguinis eorum sitientissimeus, vt dubitandum non sit, quin, qua feritate multos bonos perculit, eadem me præcipitem agere fuerit conaturus. Nam & tum commotus vehementer fuisse, & postquam Papa est factus, continere iracundiam suam non potuisse fertur, quo minus in frequenti Cardinalium conuentu, me sibi pœnas aliquando daturum esse contumaciæ, extensa dextra minaretur.

Scribunt eius familiares, nihil illum etiam nunc sermonibus vsurpare, nihil auribus admittere, nihil animo voluere, nihil agendo tractare, nihil denique somniis versare, præter inquisitionem, qua & multos quotidie priuatos Romam pertrahat, & principes viros, maximasque nationes tentet affligere; neque mirum. Difficile est enim longi temporis consuetudinem abiicere; & fere euenit, vt, quo quisque in studio versetur & munere, ex eo aliquid contrahat, quod in omni reliqua vita ad mores adhærescat. Habes Imperator, cur cessaturus Papa non fuerit, quo minus te etiam mea causa fodicaret, vt primum de meo matrimonio certior fuisset factus. De clientibus vero ipsius quid dicam! Horumne quisquam non me vexare, & omni conatu euertere studuisset? si minus idcirco, quod rectum esse putaret, pessundari hominem hæreticum, (nam isto afficiunt omnes nomine, qui non vsquequaque nutui & opinioni Papæ se consecrarunt) at certe, vt Papæ se venditarent, & eius gratiam hoc officio aucuparentur. Sed fuerint aliqui non infestissimi futuri (ne videar omnibus mentem & pietatem eripere) an putas barbarum illum ex infima Getarum colluuie, quem casus, & nescio quod furtunæ ludibrium, non vlla virtus extulit ad fastigium illud, vnde & Deum, & homines despicit, conquieturum fuisse, antequam, quantum in ipso quidem esset, me funditus perderet? qui ne tum quidem continere se potuit, quin, quibus posset rationibus, & aperte, quamuis id raro, & occulte, iam inde ab initio per cuniculos me oppugnaret, cum ego ad huc

nulla huiusmodi suspicione laborarem; sed ab ipso in iis numerarer, qui Paparum decreta, sine dubitatione vlla, Dei ac naturæ legibus nefarie anteponenda censent; dum maiorem illorum, quam harum vim esse volunt. Oppugnare me apud te, odiosum illud silicernium non destitisset, ac, dummodo me læderet, vel potius speraret lædere, mirificum torporem ingenii, ridiculum stuporem sibilantis, & subinde in dentes incursantis linguæ, incredibilem omnium bonarum artium imperitiam, insignem prauitatem animi sui prodere non dubitasset. Stimulassent enim eum veteres inimicitiæ, quas cum clarissimo viro Augustino de Sbardellat &c. Episcopo Vaciensi, auunculo meo exercuit, à quo se omni laude, sed etiam dignitate & autoritate superari molestissime ferebat. Qui quidem in literis & militari disciplina præstantissimam laudem cum consecutus fuisset, & patriç amantissimus haberetur; (quod etiam testatum reliquit, dum pro aris & focis fortissime aduersus Turcas dimicando, magna cum gloria, vitam profudit) cum apud principes suos & vniuersos homines gratiosus esset, in huius odium, vel his nominibus facile incurrit. Hic enim, vt est omnium hominum ambitiosissimus, & barbarica quadam animi elatione tumidus, ferre non poterat, vt iuuenis ille, quamuis frugi, sibi nihili seniculo prçferretur. In primis autem illud improbam & inuidiæ atque odii veneno suffusam illius mentem exedebat, quod ille Archiepiscopatus Strigoniensis administrationem & procurationem, summa, cum ipsius Cæsaris, tum Pontificis voluntate, per aliquot annos habuerat, cum omnium commendatione & beneuolentia; quem quidem Archiepiscopatum iam pridem iste spe & cupiditate deuorauerat, quem tamen serius, quam vellet, magno bonorum omnium dolore & luctu assiduis precibus & lacrymis Opt. Imperator, tundendo & supplicando, per summam importunitatem, post memorabilem tamen illam, patriæ luctuosam auunculi mei necem emendicauit. Quare, quam illi viuo iniuriam facere non potuit, ob inertiam, eam mihi homo furens, iracundia omnibus viribus inferre contendisset. Hanc ille tam optatam, tam præclaram exsaturandæ inexplebilis suæ nocendi cupiditatis occasionem nactus, quid non excogitasset, quid non tentasset, vt

meum caput in discrimen aliquod adduceret? Quod eo quidem commodius illi, & ex sententia cecidisset, quod religionis prætextu suam illam rabiem obtexisset, seque Dei causam in me vexando propugnare, eiq; veluti sacrificium quoddam offerre, impudenti ore profiteri non dubitasset. Instigasset enim eum proprium etiam odium mei & inuidia, qua tabescebat, quod indies tua & patris tui benignitate crescere dignitatem meam cerneret. Occupare enim ipse omnium dignitatum insignia in Hungaria volebat, omnem potestatem inuadere, omnibus aditum ad honores & gratiam tuam intercludere.

Me strenue aduersus se niti cum putaret, &, non modo non commendante ipso, sed etiam, quantum in eo erat, omnibus viribus obsistente, ad honores euasisse, & quotidie altius ascendere: tantum non inuidia disrumpebatur. Et hæc faciebat is, in quo nulla industria, nulla insignis laus eminebat, vt iustam posset causam aliquam obsidendorum honorum omnium prætendere: sed, quem vel peccata nostrorum hominum, vel casus ad summum gradum dignitatis produxerat: vt vel affligeretur Hungaria tali Antistite, vel fortuna, vt in aliis, ita in hoc suum ludibrium potestatemq; declararet. Ipse ab ineunte ætate ad extremam vsq; senectutem in aulis contritus iacebat, ego qui nuper extractus ex Galliç & Italiæ Academiis perinuitus adueneram, & quidem iuuenis, florebam: illum relinquebant clientes, me patrono libentius vtebantur: illius deserebatur, mea domus frequẽtabatur: ille negligebatur ab omnibus propemodum, me plurimi obseruabant. Quibus ex rebus tantum mei contraxit odium, vt omnes vias labefactandæ dignitatis meæ semper quæsierit. Quę si faciebat tum, cum exigua spes ostenderetur mei de gradu deturbandi, quid facturum fuisse credendum est, hac occasione obiecta, qua ad eius spem & opinionem apitor accidere nulla potuit? Reticere igitur ad tempus consilium meum fuit satius, siquidem eo vulgato, & ad te aliqua molestia, & ad me non sane iucunda cũ tot aduersariis dimicatio peruenisset. Addo etiam insidias, quibus vita mea proposita quotidie esse potuit, matrimonio meo à Pontif. cognito, vt si nullam aliam ob causam, at propter periculum, quod vitæ meæ creari potuit, non fuerit sententia mea matu-

maturius publicanda. Proiicere autem vitam, neq; eam meliorib. temporibus & Ecclesiæ vtilitati reseruare, nunquam est habitum sapientis. Hæ causæ sunt, Imperator, cur ad hunc diem nihil tibi de mea cogitatione significãdum duxerim, meo quidem iudicio iustæ & graues, spero item tuo nequaquam leues aut futiles.

De facti autẽ mei ratione, de qua deinceps videndum videtur, cur ad te pluribus verbis perscribam, vt primum per ætatẽ de reb. humanis aliquid existimare potui, & de vitæ aliquo eligendo genere cogitare cœpi, nihil mihi potius vnquã est visum, nihil quo me natura ipsa magis duceret, quam matrimonium. Quid enim laudabilius in communi hominum vita, vel magis necessarium, vel naturæ ipsi, cui vt Deo, obsequendum est, conuenientius? Ita cum statuissem iam olim hoc vitæ genus ingredi, quod ceteris omnibus præoptassem, in animo habui, ne me repentino aliquo libidinis velut æstu ad hanc sententiam delatum putes. Huius meæ perpetuæ voluntatis testes citare possum infinitos amicos meos, quibuscum mihi à pueritia ipsa familiaris cõsuetudo & necessitudo intercessit in patria ipsa mea, in Germania, in Galliis, in Anglia, in Italia: quib. in prouinciis ita vixi, vt nunquam hanc ex animo sententiã abiicerem; sed eruditorum hominũ sermonib. eã magis ac magis infixã mecum circumferrẽ. Sed interuenere amicorũ hortationes, matris & consanguineorũ preces & lacrymæ, Imperatoris deniq; Ferdinãdi patris tui voluntas, quæ me ad honorẽ Episcopatus impulerunt. Etsi ego me partim suadentib. partim obtestantib. partim iubentib. difficilimum sane præbebã: tamen ad extremũ assensi, q, iam tum arbitrabar non ita pugnare matrimoniũ cũ Episcopatu, quin Episcopatu deposito, cũ videlicet visum esset, vti tamẽ matrimonio possem. Quid dicã? ambitio quoq; & splendor ille, qui vulgo oculorũ aciẽ perstringit, hominẽ vix adolescentiæ fines egressum mouebat ad capiendos honores Ecclesiasticos. quocirca, cũ & ambitio sensim deferbuisset, & iam omnib. qui me in cursu honorũ collocassent, satisfecissẽ, non putaui longiorẽ in diẽ esse cõferendũ, quod iã pridẽ esset deliberatũ facere, ne cũ Deo ipso, à quo hæc mihi mens sine dubio data esset, viderer bellũ gerere. Itaq; omnib. humanis ratiocinationib. q̃ me à sentẽtia deducere possẽt, õi p̃miorũ, dignitatũ, honorũ specie,

quæ mentem meam à cœpto reuocare, omni denique miseriarum & calamitatum, quæ consecuturæ essent ob hanc causam, timore & terriculamentis postpositis, in Deum vnum, eiusque æternam legem, quæ cum natura ipsa conueniret, oculos & cogitationem defigens, non amplius cunctandum esse existimaui, sed sanctissimo illo societatis vinculo me consttingere volui, de quo dictum est: *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ:* quod ab ipso Deo institutum per omnes ætates iam inde ab orbe condito ad propagationem generis humani & vagæ libidinis fugam vnanimi consensu apud omnes nationes, quamuis barbaras & feras, sanctissime conseruatum, cultum & honorabile in omnibus & fuit, & habitum est. Quare, cum tu me in Poloniam ad serenissimum hunc Regem, & sororem tuam Reginam eius coniugem legatum misisses, primo statim legationis meæ anno, circumspicere cœpi, & quæ in hac gente puella esset, quam ducerem, & familia & moribus iis, quos ego in vxore, quam vitæ mihi sociam delecturus essem, merito probarem. In Polonia enim non alibi eam ducere constitutum erat, ob eas causas, quas paulo post dicturus sum. In hac cogitatione versanti, diuinitus mihi offertur Regina, ex vetusta ac nobili Strassorum gente, virgo magnis virtutibus ornata; à Catharina Regina sorore tua, quam nuper ad te hinc eduxi, in gynæceo suo à teneris sanctissime educata. Hæc mihi præter ceteras placet. Quid multa? huic matre consentiente, fidem dedi. Ea res in hunc vsque diem celata est ex composito. Volebam enim prius hac legatione defungi, in qua equidem summa fide & diligentia, & nonnulla etiam industriæ laude, vt tu ipse sæpenumero testari solitus es, & tota Polonia pene oculis aspexit, maximis laboribus exantlatis, tertium iam annum versor. Cum reginam hinc ad te educerem, hanc virginem, ipsius reginæ permissu, matri domum abducendam tradidi, ne, si egrederetur, & res peruulgaretur, aut ab ipsa Regina, aut aliunde eiusmodi aliqua impedimenta obiicerentur, quæ propositum hoc meum interturbarent, aut certe retardarent. Educta regina meministi, Imperator, quanto studio, quanta contentione missionem à te, & vacationem ab aulicis ministeriis efflagitauerim. Hæc erat tantæ il-

lius, &

lius, & tam importunæ petitionis causa. Cupiebam nimirum id, quod diutius differri non oportebat, ad exitum perducere, & ad vitam meliorem tota mente adspirabam. Nihil, quamuis multis precibus, quæ tua est erga me clementia, perficere potui, tu me promissis amplissimis, tu me stipendii etiam auctione, atq; aliis rationibus permultis, quæ profecto quemuis hominem permouere poterant, retinere studuisti. Sed mihi deliberatum erat, mortem potius oppetere, & extrema quæque perpeti, quam à sanctissimo proposito meo resilire. Dum hæc geruntur, tu me tertio in Poloniam ad Regem ablegas. Iam vt hac me legatione liberarem, quid non feci? idque tum propterea, quod iam tandem à publicis functionibus me eximere, & domum ad meam coniugem properare, meq; aliquo abstrudere volebam, vbi literarum studiis, & vitæ sanctitati totus vacare possem, tum etiam, quod iam non obscura erat in Polonia matrimonii huius mei fama. Quæ res legationi nonnihil obfutura videbatur, in qua mihi necessario cum Episcopis, quibus hæc causa odiosa esset, continuandam amicitiam, & consuetudinem intelligebam. Sed tamen, quoniam nullam aliam elabendi mihi relictam esse rationem videbam, extremam hanc quoq; legationis prouinciam imponi mihi passus sum, eo proposito ac spe, vt rebus ex tua sententia, quoad eius fieri per me posset, confectis, id quod antea non poteram, iam tandem ad optatum finem perducerem.

Intellexisti rem omnem, vides quid fecerim. Equidem nullo vnquam tempore in vita tranquilliorem & pacatiorum animum habui, postquam ex illo impuri cælibatus cœno, Dei beneficio, emergere me sensi; abiectis impiis illis cogitationibus, purgata iam conscientia mea, magna lætitia efferror, quod translatum me video in sanctorum hominum numerum ex infelicium cœtu, qui libidinibus, & vitæ sordibus contaminati in summa impietate consenescunt, quorũ animos, cum perpetuo voluptates & impuræ cogitationes nunc in hãc nunc, in illã partem, quasi fluctus quidam impellant, eo tandem deferuntur, vt malint aliorum vxoribus insidiari, virgines, viduas, omnis generis mulieres, ne quid deterius dicam, ad stuprum sollicitare, scorta alere, eaque frequenter, nouis succedentibus permutare, quam *suam vxorem*,

vt Paulus præcipit, *ad vitandam fornicationem habere.* Nunc me iam inde ab eo tempore, quo ad sanctiss. hanc rem animum adieci, nulla harum rerum, quas in aliis reprehendo, cupiditas diuexat, nullæ amplius eiusmodi cogitationes animum titillant, atque inflammant: de quo equidem magnas Deo opt. Max. gratias habeo.

Vnum illud non leuiter afficit me, quod huic vitæ generi deditum longe me abesse à te oportet, quem multis nominibus diligo, & summa obseruantia colo. Etsi autem nulla me ambitio, nullius honoris, aut dignitatis cupiditas commouet: qui hæc omnia & amplissima, quæ iam habui, quæque, vt tute optime nosti, paulo post, ex tua benignitate, & promissis habiturus eram, huic vitæ meæ instituto longe posthabui: tamen, quoniam in conspectu, atque oculis tuis posthac versari mihi fortasse non licebit, videor mihi in exilium non mea sponte profectus, sed à te relegatus esse. Mitigat tamen hunc meum dolorem summa prudentia, & pietas tua, qui satis intelligis, Dei voluntetem omnibus rebus humanis anteponendam esse. Tum illud etiam me non mediocriter solatur, quod omnes homines perspicient summam erga te, & vniuersam domum tuam obseruantiam, ac fidem meam, quam sempiternam fore polliceor. Sed nihil in hac parte attinet me longiorem esse. Nota est enim iam & satis perspecta ex multis meis actionibus fides erga te mea. Quod si etiam in hoc vitæ genere idoneum me esse existimas, ad munus aliquod, sine salutis meæ periculo, obeundum, & meam, exiguam quidem illam, sed plane fidelem operam in regnis tuis adhibere voles, etsi profecto in hoc otio, & literarum studiis, quod reliquum est ætatis, consumere inprimis opto; ne tamen maiorem desiderii mei, quam tuæ voluntatis habuisse rationem videar, abiectis omnibus, quæ me remorari possint, impedimentis, quam cupidissime aduolabo, quocunque me ire iubebis, & eundem, quem antea expertus es, me præstabo. Imo vero habebis posthac longe meliorem virum, nullis impuræ vitæ sordibus contaminatum, non iam voluptatibus, quæ passim voluptuariis istis Ecclesiastici ordinis hominibus inprimis curæ sunt, sed soli tibi assidue summa diligentia, studio, alacritate seruientem.

Quod

Quod ſi autem tecum, aut in tuis regnis verſari tua me voluntas, aut etiam commoda, vel rationes tuæ non patientur, ne hic quidem inutilis, aut nulla mea tibi opera eſſe poterit. Viuam enim, quoad DEVS volet, in Polonia; quæ natio, ſi vlla alia te colit, tuas eximias, & plane imperatorias virtutes ſemper in ore habet, te ſuſpicit, te amat, te facit plurimi; nuſquam domicilium figere potuiſſem, ſiue te, ſiue me ipſum reſpicio, vbi quietiore animo & liberore vitam tranſigere licuiſſet. Nam, vt hinc ordiar, meæ afflictæ & calamitoſæ patriæ hæc gens finitima eſt, vt, qui hîc degat, is ex Hungaria non prorſus exceſſiſſe videatur, prouincias alias quoque tuas conterminas habet, commeant vltro citroq;, tum hi ad tuos, tum illi ad hos: amicitiis, neceſſitudinibus, affinitatibus, conſanguinitate coniunctiſſimi ſunt: mutuæ beneuolentiæ nexu inter ſe colligati, mutuis officiis paſſim certant.

Iam vero Rex ipſe ſororius tuus, quo nemo Princeps viuit, aut mitior, aut humanior, aut benignior, aut munificentior, aut prudentior, non ſolum magnis, & iam à longa multorum annorum ſerie multis, iisdemque arctiſſimis affinitatum, & ſanguinis vinculis tecum colligatus eſt: ſed, cum à ſe diſceſſit, quem magis amet, de quo maiora prædicet, quem pluris faciat, cui ſumma omnia magis ex animo optet, profecto habet prorſus neminem. Id multi, imo omnes, qui eum norunt, ſed ego inprimis, hoc toto legationis meæ tempore, multis argumentis plane perſpexi, & vere teſtificari poſſum. Regina quoque huius regni ſoror tua eſt, vt, qui in eo regno viuat, quod ſororem tuam habeat reginam, is à te diſceſſiſſe dici non debeat. Huc accedit, quod ne in patria quidem mea, aut vſquam alibi, plures, & veriores amicos, quam in Polonia, habeo. Cum Polonis enim mihi, ab ineunte ætate, in omnibus regionibus, in quibus hactenus verſatus ſum, præcipua & perpetua conſuetudo fuit: naturali quadam animi propenſione ad eorum amicitiam, &, vt nunc video, fato ipſo me impellente, ferebar. Præterea ſumma eſt huius nobilitatis in homines ceteros humanitas, & hoſpitalitas; nulla profecto natio eſt, quod tamen aliarum pace dictum ſit, quæ nobilitate, humanitate, liberalitate, naturæ quadam amabili

bili bonitate, viribus ac potentia, vera illa, & hominibus ingenuis digna libertate, Polonæ genti antecellat. Pauca dixi, quæ omnibus tamen testata sunt: plures, easque amplissimas & verissimas nobilissimæ, ac præstantissimæ huius nationis laudes commemorare verecundia impedit, ne quis auribus aliquid me dare voluisse calumnietur. Hæ sunt causæ, quas strictim attigi, quamobrem in Polonia, quam vsquam alibi, vitam traducere, quantum in me quidem fuerit, constituerim. Sed hoc tu fortasse, & qui id audient, non reprehendes: illud in culpa pones, quod relictis honoribus, & magistratibus, abdicato Episcopatu vxorem duxi, præter consuetudinem, contra diuinas & ecclesiasticas leges. Vxorem duxi, fateor, de quo etiam Deo Opt. Max. immortales ago gratias: &, si non duxissem, ducerem Dei auxilio. sed præter bonam consuetudinem, contra Dei iussionem, contra Apostolorum decreta, addo etiam, contra Conciliorum & Ecclesiasticas constitutiones me duxisse, id vero est, quod inficior. Quamuis quid Conciliorum, quid Paparum leges valeant, cum Christi & Apostolicis sanctionibus aperte aduersantur, nemo ita in S. literis peregrinatur, nemo ita à pietate remotus est, modo oculos aperire, & dictis aures accomodare velit, qui non clarius, quam meridie lucem, perspicere queat. Id ego si demonstrare aggrediar, scio quam non necessarium, ac plane superuacaneum laborem sumam. Est enim ea quæstio à summis viris ante me tractata, & aduersariorum cauillationes amplissime à multis refutatæ sunt. Sed tamen, vt facti mei rationem mihi quoq; constitisse intelligant ii, qui me culpabunt, breuiter, & dilucide rationes adferam, quibus adductus sum, vt hoc vitæ genus omnibus honoribus, & dignitatibus, commodis, atq; emolumentis longe anteponendum, & paupertatem, quæ legi Dei nõ aduersetur, diuitiis, in impietate & Dei legum contemtu congestis anteferendã duxerim. Qua de re mitto ad te separatim libellum meum, quem quidem, si hæc cognoscere, aut voles, aut vacabit, vt attente legas, supplex à te peto: vt ab vtra parte veritas stet, pro tua sapientia & pietate iudices. Hæc autem quæ hucusque commemoraui, vt in optimam partem clementer interpretari, & de mea in te fide aut voluntate, nullam alienam, ab

æmulis

æmulis meis confictam opinionem in animum admittas, per tuam te bonitatem oro. Non enim cum vitæ genere, & domicilio, etiam animum & obedientiam mutaui: ſed augeri etiam hæc volo, ſi modo augeri illa poſſunt, ad quæ nullus cumulus poſſit accedere. Quod vt certo tibi perſuadeas, neve duriorem in partem factum meum accipias, eamve beneuolentiam & clementiam minuas, quam mihi hucusque tribuiſti, tanto ſtudio à te peto, vt maiore non poſſim. Deum oro, vt te feliciſſ. fortunatiſſimumque ſeruet, & omnibus bonis cumulet, in cuius gratiam me humiliter commendo.

Datum ex Comitiis Petricouienſibus Cal. Iun. Anno Domini 1567.

MATRIMONIVM OMNI HOminum ordini, sine exceptione, diuina lege permissum esse,

Demonstratio Andr. Dudithii.

QVi cœlibatus legem fixerunt, næ illi & naturæ vim inferre, & DEO coniugii autori scelerate repugnare ausi sunt. Qua in re non solum DEI mandata, per summam impietatem contemserunt, vt paulo post planum faciemus: verum etiam ab omnium gentium ac populorum, & sapientissimorum legislatorum institutis lõgissime discesserunt. Ex quo effici potest, eos & impios, & insipientes fuisse. Veteres illi, quos Ethnicos vocant, tametsi ea, qua nos diuino munere imbuti sumus, religionis intelligentia carerent, naturam tamen ducem secuti, quæ à Dei lege non abhorret, nullo cœlibes honore dignati sunt, quin scriptis legibus ad cõiugia compulerunt. Quid causæ? Nimirum, vt à bonis parentibus bona, ac patriæ vtilis ac salutaris propagari, atque educari proles posset: tũ ne ciuitates vagis concubitibus incestarentur; vt fieri assolet in otiosorum istius generis, & obscœnorum hominum multitudine, qui, cum in summa securitate, & bonorum omnium affluentia vitam ducant, exquisitis esculentorum & poculentorum varietatibus infarcti, cum æstuantem libidinem reprimere nequeant; neq; suum vas, quo vti possint, habeant; ne quid eorum, quæ horribilia sunt, commemorem; tanquam cuculi alienis nidis insidiantur, atq; omnia loca stupris, adulteriis, atque aliis sceleribus complent. Quæris, qui fuerint illi veteres sapientes, quibus cœlibatus ob has causas inuisus fuerit?

Lycurgus cœlibes ea ignominia notabat, vt à ludis arcerentur: per hyemem vero forum nudi circuire cogerentur. Legitur etiam Lacedæmonas, fugientibus ex bello, hanc infamiam inurere solitos, vt a coniugio arcerentur. Cretenses ex iuuentute optimos quosque deligebant, quos, si nollent, ad vxores ducendas legum vinculis ac vi compellebant. Plato, omnium ætatum summus philosophus, qui ob singularem doctrinæ præstantiam diuinus

diuinus, atque adeo Philoſophorum Deus appellatus eſt; eum, qui ad quintum & trigeſimum annum in ſolitudine vixiſſet, omni honore indignũ iudicauit, & cum omni rerum administratione remouiſſet, in poſtremis eſſe iuſſit. Intelligebat enim diuinus ille recte ſentiendi recteque intelligendi magiſter, vbi cœlibes in honore haberentur, & aliquo numero eſſent; illic pudicitiam, caſtitatem, verecundiam, atque omnem denique honeſtatem, in magno diſcrimine verſari: plerisque in locis, vbi nimirum parentum, & maritorum diligentiam, aut potentia superauit, aut inſidiæ fefellerunt, longe etiam exulare.

Eandem rationem ſecuti videntur orbis terrarum domitores Romani. Camillus & Poſthumius Coss. his, qui ad ſenectutem vsque cœlibes perueniſſent, mulctam pœnæ nomine in ærarium inferre iuſſerunt. Honos etiam nuptiis habitus eſt, ex priuilegio, vt præmiis & immunitatibus ad rem tam honeſtam & Reipub. ſalutarem inuitarent, ſi qui forte ſponte nollent; Siquidem cui tres erant liberi, vacatio muneris; cui plures, libertas donabatur.

Quod & à Lacedæmoniis vſurpatum legimus, qui trium liberorum parentes à cuſtodia & excubiis; quatuor vero, ab omni onere immunes eſſe iubebãt. Quin eo res apud Romanos proceſſit, vt præturas, quæſturas, conſulatus, aliosque honores & magiſtratus, niſi plurium liberorum parentibus, comitiis darent. Qua quidem re factum eſt, vt ambitioſi homines, ne à magiſtratibus & Reipub. adminiſtratione arcerentur, cum canditati ad comitia & campum deſcenderent, fictis adoptionibus, liberos ſibi, peſſimo more, ementirentur. Qui poſtea mos Senatusconſulto ſublatus fuit, ne ſimulata filiorum adoptio, veris parentibus fraudi eſſet. Poſtea mariti & plurium liberorum parentes, in omni ſemper negotio, pauciorum parentibus, aut qui mariti non eſſent, antelati fuerunt. Sed veteribus & externis relictis, ad noſtra veniendum eſt.

Clamant aduerſarii mei, & grauiſſimis execrationibus ſancitum eſſe affirmant, ne ſacris initiati viri, multo etiam minus Epiſcopus vxorem ducat: Quare damnari factum meum oportere, quod matrimonio me coniunxerim: quia hoc contra Romani Pontificis leges ſit: pugnet cum exemplis antiquitatis, &

consuetudine Ecclesiæ: denique rationi & sanctis literis aduersetur.

De Papæ autoritate, quatenus valere debeat, & legibus, alio loco videbimus. Reliqua quam vane, quamque nugatorie dicantur, nunc breuissime docebimus. Etsi scio superuacaneam hãc esse operam, cum sit á viris doctissimis hæc quæstio vberrime planissimeque explicata: Tamen, quoniam multorum hominum, factum nostrum reprehendentium, vocibus perstringimur, ne silentio & intempestiua verecundia nostra, aliquod causæ præiudicium fiat, ostendemus, Deo approbante, nihil esse causæ, cur á bonis ac piis & sanctarum literarum intelligentibus viris, consilium nostrum merito improbari debeat.

Atque vt eum ordinem sequamur, quem natura ipsa videtur præscribere, vt á vetustissimis quibusque exorsi, deinceps proxima quæque excutiamus: peto ab his, qui contrariam rationem tuentur, quo iure receptum sit in humana vita matrimonium? Dicent, opinor, naturæ. Nam hoc etiam viderunt Philosophi, & qui Respublicas legibus deuinxerunt. Porro autem iure naturæ cum communiter omnes homines vti possint, quid est, cur eius vsura certo hominum generi interdicatur? Cur non etiam á cibo, á potione, á somno, a ceteris, quæ natura desiderat, Sacerdotes arcentur?

Tam est enim ad naturam coniunctionis, generandi causa, appetitio, quam pastus, quam somni, quam ceterorum commodorum, quæ omnia animalia suopte nutu auidissime persequuntur: Imo hoc magis naturæ congruit legitimæ procreationis cupiditas, quam cetera omnia, quod generandi libidinem ad conseruationem vniuersi generis, reliqua quæ naturalia & sunt & dicuntur, ad salutem & incolumitatem singulorum sagax natura, præcipue omni generi perfectorum animantium, ingenuit. Neque tamen ii sumus, qui necessario omnibus vtendum hoc iure naturali censeamus: sed qui contendamus, neminem ab eo arcendum. Est enim naturæ ius duplex: Vnum, quo vtendum sit omnibus: alterum á quo nemo prohibendus: cuius generis matrimonium est.

Ridiculum est, quod hoc loco responderi solet ab aduersariis:
A na-

A natura quidem homines ad concubitus appetitum incitari, sancirique naturæ lege matrimonium: sed corruptæ illius naturæ, & primorum parentum peccato vitiatæ. Hoc nihil esse, Moses, imo DEVS ipse, qui Mosi libros illos dictauit, coarguit. Diserte enim scribitur in libro Geneseωs, ante fuisse primorum illorum par, ex quo tota soboles posteriorum hominum profluxit, á DEO creatum, quam vllus se peccati fraude obligasset. Quo etiam declaratur, non modo naturæ, sed etiam diuino iure matrimonium firmari. Atque id non solum in primis illis hominibus valere putandum est, sed omnibus etiam, qui ab iis propagati sunt. Causa enim eadem est, quæ in illis: *Non est bonum homini esse soli, auxilium ei adiungendum est.*

Qua re vniuerse vox illa à DEO pronunciata est: *Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Viden' vt lex de matrimonio, cui nefaria vis ab hominibus parum intelligentibus, & nihil maiestatem DEI reueritis, illata est, cum ipso homine, atque adeo cum ipsa rerum natura simul, aut potius ante hominum genus nata sit? non ab homine lata, sed ab ipso omnium rerum autore DEO? Quocirca iam inde ab initio orbis conditi, integrum fuit omnibus, vxorem ducere, & multos homines sanctissimos etiam, qui ordinis essent sacerdotalis, matrimonii vinculis adstrictos fuisse scimus.

Quis autem nescit, Patriarchas, Mosen, Aaronem, Eleazarum, Esaiam, ceterosque Prophetas, Leuitas item in veteri Testamento, vxores habuisse? Laudat copiose virginitatem Ignatius apud Eusebium, tamen matrimonium non excludere beatitudinem, multorum, quos beatos fuisse constat, exemplo demonstrat. Quid Zacharias? cuius ætas affecta in Christi infantiam incurrit, nonne vxorem habuit? nonne vtrique coniugi sacræ literæ grauissimum iustitiæ, hoc est, innocentiæ & sanctitatis testimonium impertiunt? Sed hæc vulgo etiam notissima sunt.

Iam quod in veteri lege Sacerdotib. diuina permissione vsitatũ fuit, vt vxores ducerent, id in nouo Testamento Christũ aut eius discipulos nusq̃. vetuisse apparet. Quin, vt in veteri illo testamẽto Patriarchas: sic in nouo Testamento Apostolos, operam dedisse

rei

rei vxoriæ, dubium non est. Etsi enim eorum non nemo vxorem non habuit, idque constat; tamen nobis ad obtinendum id, quod volumus, satis sit, quod exemplo fit vel vnius cuiuspiam Apostolorum. In Actis Apostolorum XXI. capite, quatuor Philippi filiæ numerantur: & apud Matthæum socrus Petri fit mentio. Socrus vero Petri sine vxore, & filiæ item Philippi sine vxore intelligi nullo modo possunt. Ceteros quoque habuisse vxores, vno Iohanne excepto, certum est. Nam quod Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus, Theophylactus, Paulum quoque excipiunt, non extra controuersiam est: maiorque videri potest Ignatii & Clementis esse autoritas, quod Apostolorum tempora attigerunt, qui etiam Paulum liberos procreasse scribunt. Hos sequitur Leo nonus, distinctione 3. capite, Omnino: vt ex interpretatione eorum verborum, quæ sunt in priore ad Corinthios 9. *Nonne habeo potestatem, sororem mulierem circumducendi, sicut & ceteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?* disci potest. Sororem enim mulierim, vxorem significari vult, Clemente Alexandrino teste, qui addit, vxores secutas esse Apostolos, vt ex eleemosynis, quæ necessaria ad victum essent cultumque corporis eis subministarent, in maiore munere occupatis Euangelii diuulgandi. Quid enim aliud per sororem mulerem intelligi potest? an alia quæuis femina? Cur ergo addidit vocem illam mulierem? nugatio enim esset, & ad excludendum virum satis erat sororem nominasse. Græcus contextus habet, ἀδελφὴν γυναῖκα. Primum illud idem valere, satis apparet, quod si πιστὴν dixisset, hoc est, fidelem seu Christianam. Ita en im fratres & sorores Apostoli, & tota illa antiquitas vocare solebat eos, qui eundem DEVM Patrem colerent, inque eius Filium Iesum Christum crederent. Quare nouum videri non debet neque inusitatum, quod vxorem sororis quoq; vocabulo cohonestarit.

Iam illud alterum, omnino vxorem significare, certum est. γυνὴ enim eam vim habet, vt & mulierem simpliciter, & vxorem plerumque denotet; quod ne apud latinos quidem autores infrequens est, vt mulieris nomine vxor significetur. Puerile autem est, exempla vtriusque linguæ persequi, quæ passim vel minimum in veterum lectione exercitatis occurrunt. Quare omnino

mnino ita intelligendum videtur, vt vxorem significasse Apostolum voluisse dicamus. Nam plerosq; Apostolos in coniugio vixisse, veteres docent, & nos paulo post ostendemus.

Sunt tamen, qui hunc locum deprauent, & contra omnium codicum fidem, *Mulieres*, multitudinis numero legi velint. Affingunt quoque absurdam sententiam, quæ sua sponte corruit, fundamento nullo nixa. Volunt autem credi, mulieres quasdam pias & diuites fuisse, quæ Apostolos assectarentur, & de suo illis necessaria subministrarent, vt commodius interim illi Euangelii docendi muneri vacare possent. Quod vel ex eo falsum esse arguitur (vt à doctis quibusdam viris obseruatum est) quod eiusmodi matronæ vix dicerentur ab Apostolis circumduci; cum hoc potius ius mariti in vxorem, & dominæ in ancillam videri possit. Pene oblitus eram, supra capite 7. cum de vxoribus loquitur, non alio, quam hoc quoque loco, nimirum γυναικὸς vocabulo vtitur. Et 1. ad Timotheum 3. Episcopum vult esse μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα; & proxime superiore capite, cum inquit: *& Adam non est seductus, mulier autem seducta in præuaricatione fuit.* ἡ δὲ γυνὴ, inquit. Eam autem mulierem quis neget Euam Adami vxorem fuisse? Ita ad Titum cap. 1. cum presbyteros ordinari præcepit, *si quis sine crimine est, vnus vxoris vir*, inquit, μιᾶς γυναικὸς ἀνὴρ, Interpres eo loco, vt supra quoque 1. Corinth. capite 7. & alibi acutius vidit. Nam quemadmodum & hic facto opus fuerat, ibi γυναικός, *vxoris*, vertit. Sed putidum fuerit hæc subtilius excutere, quæ ad Grammaticorum potius scholam reiicienda sunt. Adde, quod nisi illæ vxores fuissent, suspicio oriri potuit, scorta ab Apostolis circumduci. quod summo studio illos cauisse, verisimile est, ne per ipsorum latus, Euangelii, quod docebant, autoritas, conuitiis & criminationibus vulnenaretur. Decebat autem Apostolorum domum & familiam, atque vniuersam societatem, non crimne solum, verum etiam omni criminis suspicione vacare.

Adfert idem Clemens verba illa, quæ sunt in epistola ad Philippenses capite 4. ἐρωτῶ σε γνήσιε σύζυγε· & ex iis ostendit, Paulum vxorem habuisse. Quod si verum est, illa verba, quæ opponi possunt, ex Epistola 1. ad Corinthios 7. *Volo omnes homines esse, sicut*

& meipsum: sic interpretabimur: vt non perpetuam suadeat virginitatem iis verbis Paulus, sed, quod paulo supra dixerat, ad tempus abstineri velit à consuetudine vxoris, ieiunii & precum suscipiendarum gratia: idque exemplo suo probare nititur, qui ad tempus vxorem à se segregauerat, & Philippis reliquerat, quo ad Euangelii præconium, vt ait Clemens apud Eusebium, esset expeditior. Ita fit, quod eodem iubet loco, vt cum vxorem habeat, tamen non habere, propter certam moderationem, videatur.

Lib. 3. c. 30.

Hæc cum negari ab aduersariis non possint (sunt enim luce ipsa clariora) operæ pretium est cognoscere, quo confugiant. Habuerunt, inquiunt, vxores Apostoli, non negamus: at illud non damus, eos, post impositum sibi munus Apostolatus cum vxoribus consuetudinem habuisse.

Hoc vero ad libidinem fingitur, neque probabili vllo argumento confirmari potest. Etsi enim omnia se reliquisse, Christumque secutos esse dicant, id tamen non eo valet, vt omnem vxorum consuetudinem repudiauerint: Sed hanc vim habet atque sententiam, nihil se tanti in mundo ducere, vel ad commodum, vel ad gloriam, vel ad voluptatem, vt eius potiundi cupiditate, à Christi doctrina cultuque auocentur.

Scribit etiam Paulus, reliquos Apostolos vxores suas circumduxisse, idemque sibi licuisse facere testatur. De Petro certe Eusebius & Clemens autores fuerunt, eum Romæ vxorem habuisse, quam etiam, cum ad supplicium raperetur, pro religionis Christianæ professione, consolatus sit & hortatus, vt Domini nostri memoriam teneret.

Sed neque exemplis, neque autoritatibus hominum opus fuerit; diuina lege cautum est, vt ne quis vxorem relinquat suam, nisi hac conditione, si in adulterio deprehensa sit. Videant hic Pontificii, quid agãt, cum vxores habuisse Apostolos, priusquam ad Apostolatus munus vocarentur, non negant, eosdem, postquam vocati sunt, vxores aiunt reliquisse. Peto, quo iure reliquerint? Christus nullam aliam causam esse vult dimittendæ vxoris, præter adulterium. Adulteras igitur fuisse Apostolorum vxores probent, necesse est. Ita homines acuti, dum Apostolis per-

perpetuam temperantiam ab vxorum consuetudine volunt adscribere, non vident, grauissimam cum Apostolis notam infamiæ, tum eorum vxoribus flagitii dedecus inurere.

Facessant igitur hæc delirantium hominum commenta: siquidem hoc agunt, vt alterutrum confiteri sit necesse; vel Christum non recte docuisse, vel Apostolos non recte fecisse. Si vtrumlibet cogitare nefas est, ne dum dicere, quid causæ est? cur non, quod res est, nobiscum malint defendere, quam studio falsæ temperantiæ, pro prauis & impiis pugnare sententiis? Si dixerint pactos esse Apostolos cum vxoribus continentiam, demonstrandum hoc fuit, non temere asserendum.

Nicolaum Diaconum vxorem habuisse, ex Eusebio & Clemente intelligo. De Tertulliano presbytero Carthaginiensi alius audiendus autor non est. Ipse libro ad vxorem scripto satis declarat, se vxorem habuisse. De Hilario quoque nulla dubitatio est. De Athanasio idem quoque colligi videtur posse ex laudatione, quam ei scripsit Gregorius Nazianzenus. Chæremonem Nili Ægyptiacæ episcopum sanctissimum, quo tempore Christianos impii grauissime persequebantur, cum voxore fugisse, narrat Eusebius. Et alio loco de Spiridione scribit idem historicus, non minoris illum ceteris Episcopis fuisse habitum, quod vxorem haberet. Polycrates Episcopus Ephesinus apud eundem scriptorem, narrat, septem è suis maioribus ordine Ephesi fuisse Episcopos, & se deinceps octauum illis successisse. Gregorius Nazianzenus patrem suum Episcopum à matre sua in Ecclesiasticis curis sæpe adiutum esse scribit. Recte enim Chrysostomus exponens illa verba, quæ sunt in 1. ad Timotheum 3. *vnius vxoris virum*; negat obesse cuiquam, quod vxorem habeat, quo minus ad sacerdotium eligi possit. Atque post electionem etiam retinere licuisse, quam vxorem quisq; duxisset, historia Ecclesiastica satis demonstrat. Clarissime idem ostendit Chrysostomus. Cum enim eos reprehendisset, qui in theatro nimis dediti turpibus spectaculis essent, hoc addit: *Non propterea extrudo te in solitudines, in quibus monachi versentur, imo nobis & monachis omnia mandata* DEI *sunt communia, præter connubium.* Nam monachis ipsis coniugium interdictum esse, patet ex

L.6.c.46.
L.10.c.5.
L.5.c.24.
Socrates l.1. c.11. Sozomenus l.1.c.23. Et distinct. 31.c. Nicen. Nicephorus l.12.c.34.
In Matth. 11. homilia 7

Epiſtola, quæ ab eodem Chryſoſtomo ad Theodorum lapſum eſt ſcripta, item, vt monialibus in Concilio Chalcedonenſi. Apud Hieronymum libro 1. contra Iouinianum hæc ſunt verba: *Quaſi non multi hodie mariti adſciſcantur in Epiſcopos*. idque recte fieri contendit, eadem autoritate fultus, qua & Chryſoſtomus, illa nimirum, quæ apud Paulum eſt mandata literis, de Epiſcopo vnius vxoris viro. Quid? permulti numerantur Romani pontifices, qui patribus Epiſcopis & ſacerdotibus ſunt nati, non de fornicatione (vt ait Gratianus diſtinctione 56. *c. Cænomanenſem.*) ſed de legitimis coniugiis, quæ ſacerdotibus ante prohibitionem vtique licita erant, & in Orientali Eccleſia vsque hodie eis licere probatur.

In Germania quidem iam ante Henricum III. Imperatorem bellaciſſimum, de vxoribus ſacerdotum adimendis cogitatum eſt, coacto Moguntiæ concilio, cui & Leo IX. pontifex Romanus interfuit, tanta Clericorum indignatione, vt ab Archiepiſcopo Moguntino, edictum promulgaturo, vix manus abſtinuerint. Neque vero Hudalricus Auguſtanus Epiſcopus hanc iniquitatem ferre potuit, quin cum pontifice Romano per literas de iniquitate huius legis expoſtularet. Extat epiſtola eius bene longa.

Polyd. virgilius in lib. 8. in vita Edgari Regis.

Anglos quoq; ſacerdotes vxores habuiſſe, vsque ad Edgari Regis tempora, qui vixit circa annum 960. dubitari non poteſt. Adde, quod in hoc quoque Poloniæ Regno, latinos ſacerdotes vsque ad annum 1219 vxores habuiſſe, demonſtrari poteſt ex annalibus, in quibus Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Polonorum vitæ deſcriptæ ſunt. Magna exemplorum multitudo adferri poteſt: ſed hæc pauca ſatis ſunt iis, qui animum aduerſus veritatem non obfirmarunt. Quanquam ſi vel nullum exemplum extaret, nonne infinitorum exemplorum vim obtinent ſacræ literæ? Paulus in 1. ad Corinthios 7. *vnusquisque*, inquit, *ſuam vxorem habeat, propter fornicationem:* Suam, inquit, non alienam: Subiicit enim alibi, *fornicatores, & adulteros in regnum cælorum non eſſe peruenturos.*

Etſi non me latet, eſſe, qui velint, his verbis præcipi, non, vt qui vxorem non habeat, ducat, ſed, vt qui habet, ea vtatur.

Sed

Sed reſpuunt hanc ſententiam verba ipſa per ſe clariſſima, neque fere quisquam eſt, qui hanc ſententiam probare poſſit. Quid enim neceſſe erat illa ſtatim ſubiungere, *ne fraudetis alter alterum, niſi ex conſenſu, ad tempus, vt vacetis ieiunio & orationi.* Quid inepta ταυτολογία opus fuit? Ad Titum ſcribens & Timotheum, *oportere* ait *Epiſcopum vnius vxoris eſſe virum.* Quæ verba, tametſi aliqui ſic exponant, vt ii, qui ſecundam vxorem habuerint (digamos vocant) à ſacerdotio arcendi eſſe ſignificentur: tamen probabilior eſt altera Chryſoſtomi expoſitio, qui vult Epiſcopum vnicam habere feminam in matrimonio. Itemque Hieronymi, qui, in epiſtola ad Oceanum, & libro 1. contra Iouinianum, his verbis cenſet plures vxores Epiſcopis interdici, vnam concedi. Licet enim etiam aliter illa verba interpretetur, tamen eum ſenſum, quem propoſuimus, ita probat, vt reliquos omnes condemnet. *Nam Iudæi,* inquit, *& Patriarchæ quoque ipſi plures habebant vxores vno tempore.* Nam ſi præciperet his verbis Paulus arcendos eſſe digamos à ſacerdotio: quod volunt aduerſarii: cur Carterius in Hiſpania, qui duas vxores duxerat, vnam antequam buptizaretur, alteram poſt lauacrum, priore mortua, Epiſcopus eſt factus? Et eum negat Hieronymus contra Apoſtolorum feciſſe ſententiam, in Epiſtola ad Oceanum.

Etſi ſcio Auguſtinum negare, talem ordinari poſſe, qui, etiam dum paganus eſſet, alteram vxorem duxerit. Id eò commemoro, vt videas, quam belle ſibi conſentiant, quorum ſcripta aduerſarii ſacræ ſcripturæ pene exæquant: certe ab eorum ſententia quoquam recedere, etiamſi res ipſa & ſanctus Spiritus reclamet, piaculum exiſtimant. Quaſi vero illi non homines nati ſint, neque errare ipſi, & alios inducere in errorem queant.

De bona cõſcientia, capite. 8.

Quod & Auguſtinus libro 1. de bona conſcientia oſtendit multis verbis, & Hieronymus. Idem licere Epiſcopis noſtris Paulus non vult, ſed vna vxore, vno tempore contentos eſſe iubet. Daniel notam regni Antichriſti ſcribit eſſe contemtum mulierum. Et Paulus 1. ad Timotheum 4. *doctrinam dæmoniorum* vocat eorum, qui prohibent nuptias. Et in epiſtola ad Hebræos, *matrimonium in omnibus honorabile, & torum immaculatum* commendat. Si in omnibus honorabile eſt matrimonium, certe

Capite 17.

in sacerdotibus quoque & episcopis. Quocirca in Niceno concilio Paphnutius, & diuinam legem, & sanctorum exempla intuēs, cum de arcendis sacerdotibus ab vxorum suarum consuetudine ageretur, vehementer hanc legem dissuasit, propterea quod verendum esse diceret, *ne*, vt ait Paulus, *in fornicationis crimen inciderent.* Tantumque valuit hæc ratio apud illos sanctissimos Patres, vt autor fuerit concilio, ne lex illa perferretur.

Gratianus distinct. 31. c. quoniam.

Sexta etiam synodus, cuius grauior esse debet autoritas, quam vnius cuiuspiam doctoris, quamuis sancti & eruditi, ait, *consuetudinem quidem esse Romanæ Ecclesiæ, vt sacerdotes à suis vxoribus abstineant:* sed abrogat hoc decretum, vtique eos suis vxoribus iubet, neque vllo modo dissolui vult illorum matrimonia. Concilium Gangrense diris deuouet eos, qui damnant, aut fugiunt oblationem sacerdotis, idcirco, quod vxorem habeat. At hodie Pontificii non modo fugerent oblationem talis sacerdotis, sed eum etiam exquisitissimis suppliciis afficerent. Tamē Canon Apostolorum 60. non coniugatum, sed fornicatorem, aut adulterum in Clericorum numero esse vetat. Et Canon 39. Episcopis de priuatis suis rebus testamenti faciendi potestatem facit, propterea quod aliquando euenit, vt vxorem, liberos, cognatos, seruos, habeat. Scio dubiam esse horum Canonum autoritatem: quin & inter se pugnant, & temporum faciunt mentionem, quæ Apostolorum ætate inferiora sunt: sed cum ex iis aliquid depromant aliquando aduersarii, refellendi nostri causa, maximeque canonem 27. qui lectoribus tantum, & cantoribus vxorem permittit, quæ nomina functionum inaudita illis temporibus erant, quid vetat, quominus quibus telis nos petunt, eadem in illos retorqueamus?

Canon. 4. distinctione 28.

Gregorius primus, in epistola ad Petrum diaconum Siciliæ, sancit; *ne diaconi ab vxoribus suis segregentur, etsi Romanæ consuetudo Ecclesiæ obtinet, non etiam Catholicæ, vt diaconi vxoribus non misceantur:* hæc enim verba vsurpat.

Distinct. 31.

In concilio Agathensi hæc sunt verba: *Presbyteri, diaconi, & subdiaconi, vel deinceps, quibus ducendi vxores licentia modo non est,* Quid adverbium illud *modo?* nonne declarat prius licuisse, nempe cum & vita hominis esset integrior & doctrina incorruptior?

Vide

Vide enim quid intersit. Dionysius Corinthiorum episcopus scribit ad Gnosios, monetque Puritum illorum Episcopum, ne perpetuæ continentiæ iugum suis imponat, quod illi ferre nullo modo possint. Exortus est multis annis post Syricius in Ecclesia Romana, & Innocentius, quibus non satis fuit, per summam incuriam, diaconis, subdiaconis, & presbyteris, eripere ducendæ vxoris potestatem: sed etiam contumeliosis verbis lædunt matrimonium, quod Paulus *honorabile* dicit esse *in omnibus*, nemine excepto. At Syricii decretum tuetur Ambrosius. Quid tum? Non negamus Ambrosium, & alios quosdam patres iniquius sensisse, & scripsisse de coniugio. Sed Ambrosii & omnium denique hominum, etiamsi linguis Angelorum loquerentur, iudiciis & decretis, sacrarum literarum ac diuinæ legis autoritas, maxime præponderare debet. Patres à patribus, concilia à conciliis sæpe dissentiunt: neque raro à seipso quispiam discrepat. Quod cum sit, quid dubitamus à Patrum sententiis ad sacras literas, quarum immutabilis est veritas, prouocare? Cur non, omissis riuis, eosdem, quos illi, fontes petimus? Si quid à Patribus dicitur conuenienter sacris literis, obuiis vlnis excipiendum est: si discedant à Verbo Dei, hominum sententiis Dei voluntas anteponenda est. Quid? quod ne illi ipsi quidem, quos nominaui, viri sancti, maiorem sibi honorem, aut scriptis suis fidem haberi volunt, quam sacrosanctis Dei monumentis? Nolunt enim, vt vllus suis dictis atque sententiis locus relinquatur, nisi sacrarum testimoniis literarum, id quod credi volunt, plene sit confirmatum. Notum est, quid de ea re scribat Augustinus ad Hieronymum epistola 19. Et libro retract. Et Hieronymus ipse, tum in Psalmum 86. tum in locis aliis permultis. Quod sane vidit etiam ille, qui tamen multa alia æque perspicua non vidit, Panormitanus Canonistarum Deus. Is ait, *magis credendum esse idiotæ* (ita enim loquitur) *si scripturas afferat, quam Papæ & toti concilio, si absque scripturis agant.* Sed hæc suo loco rectius tractantur. Ait Syricius, *Paulum præcipere facta carnis spiritu mortificanda esse:* Quasi iam conuicerit, matrimonium factum carnis esse.

Eusebius & Hieronymus de viris illustribus.

Distinct. 82. cap. Quia. Distinct. 28. cap Decernimus.

Quid

Quid sceleratius à Manichæis, & Encratitis dici potuit? Paulus ad Galatas 5. certe inter *facta carnis* numerat *fornicationem, adulterium*, aliaque multa; matrimonium, tantum abest, vt in factis carnis habeat, vt etiam remedium hoc esse dicat contra facta carnis, hoc est, stupra & illicitas libidines, à Deo constitutum. *Saluari etiam*, ait Paulus, *mulierem per filiorum generationem*: quod cohærere nullo modo posset, si opus carnis esset coniugium. Sed quid verbis opus est? Experientia docere potest, vtri magis spiritu facta carnis mortificent; iine qui cœlibem se vitam dicunt colere, an qui se matrimoniis copularunt.

Incurrunt in oculos quotidiana flagitia Monachorum, & sacerdotum pontificiorum, & ex historiis nefanda libidinum exempla commemorari possunt. Sed scire peruelim ex istis, qui opus carnis dicunt esse matrimonium, cur tam enixe defendant, matrimonium esse sacramentum? Non enim, & opus carnis esse potest, & gratiam conferre. Si gratiam confert, cur ab eo certum genus hominum arcent? cur prohibent in sacris suis initiatis accessionem fieri gratiæ? Non enim pugnat sacramentum cum sacramento: neque matrimonium additum sacerdotio tollere magis eam gratiam, quæ per sacerdotium, vt sacramentum, collatum est, quam eam noua gratia cumulare debet. Quare, vel inuidos vel imprudentes sese confiteantur necesse est, dum sacerdotium à matrimonio ita seiungunt, vt nolint, in vnum eundemque hominem vtrumque conuenire.

Multa, inquiunt, habet auocamenta ab Ecclesiasticis curis matrimonium. Quocirca sacerdotib. & episcopis, quib. Ecclesiæ procuratio mandata est, non videtur hoc vitæ genus quadrare.

Fateor solutiorem eum esse à multis molestiis, qui vxorem non habeat; si modo is est, cui perpetuitatem veræ continentiæ DEVS impertierit. *Arbitror* enim, inquit Paulus, *hoc bonum esse propter præsentem necessitatem, & velim vos absque solicitudine esse.* Verum si continere non possit, si vratur, ecquod maius auocamentum hac coacta castitate esse potest? Adde quod nullum hominum genus magis mundo vacat, quam Ecclesiastici, qui omnes Principū aulas occuparunt, omnes honores, & dignitates aucupantur, omnibus factionibus se immiscent. Quid magis distra-

diſtrahit animum, & ſtudia impedit, ac ſacrarum literarum tractationem? quid magis functionem Eccleſiaſtici muneris remoratur, quam in cœno libidinum noctes diesque volutari, & impuris cogitationibus æſtuare? Et audent nobis obiicere illud, quod pręceptum eſt ſacerdotibus veteris Teſtamenti; *Mundamini, qui fertis vſa Domini.* Perinde quaſi vllam aliam munditiem requirat DEVS, quam animi, quæ, etſi in multis coniugatis præſtabilis fuit, vt in Abrahamo, Spiridone, & aliis permultis, & à parte multo maxima ſacerdotum papalium abeſt. Vanæ ſunt hæ excuſationes legis importuniſſimæ. Illud potius eſt, quod mouit Romanos Epiſcopos, ad matrimonium ſacerdotib. interdicendum, quod ſignificat Pelagius, Diſt. 28. De Syracuſ. *ne bona Eccleſiaſtica ab Eccleſia alienentur.* Egregiam vero cauſam, ſiquidem opum potius incolumitatis, quam tot animarum ſalutis, habita eſt ratio. Quid? non alienantur ab illis Eccleſiaſtica bona, cum ea in lenones, in ſcorta, in catamitos, in ſpurios, in moriones, in adulatores, in abdominis & ventris, in multarum voluptatum miniſtros, & cognatos locupletandos inſumunt? At hoc faciunt ii, qui ſanctimoniæ exemplum, & facem ceteris præferre deberent. An his largiri eſt æquius, quam ſociam vitæ coniugem alere, &, vt vult Paulus, *liberos in omni caſtitate educare?* Quanto rectius Nicolaus Papa, qui de matricida quodam ſacerdote ſcribens ad Ratholdum epiſcopum Argentorati, cum multa ei ornamenta adimat, & munera: vxoris tamen vſum illi adimi vetat. Et adſcribit cauſam veriſſimam, ex Pauli doctrina hauſtam; *ne in fornicationis voraginem corruat*, quod ne fiat optamus. Quid? nonne Græci ſacerdotes, & qui Orientis Eccleſiæ ritum ſequuntur, ad hodiernum diem vxores habent? nonne Catholicæ Eccleſiæ membra ſunt? Negabis! Audi, quid Stephanus Papa de iis ſcripſerit. *Aliter ſe Orientalium traditio habet Eccleſiarum, aliter huius ſacræ Romanæ Eccleſiæ. Nam eorum ſacerdotes, diaconi, aut ſubdiaconi matrimonio copulantur. Iſtius autem Eccleſiæ vel Occidentalium nullus ſacerdotum à ſubdiacano vsq; ad Epiſcopum licentiam habet coniugium ſortiendi.*

Sentiunt ſe premi his rationibus aduerſarii, neque vbi conſiſtant, inueniunt, præter voti religionem: qua cum obſtricti teneantur ſacerdotes, non eſſe illis integrum matrimonium contrahe-

trahere. Itaque se non negare, multos sacerdotes in Ecclesia veteri vxores habuisse, atque etiam nunc in Græcia habere, scilicet quas duxissent, ante, quam sacerdotium capesserent. Post vero votum nucupatum, aut consecrationem, vt illi vocant, à sacerdote vxorem esse ductam, nunquam in Ecclesia, ne Græca quidem, esse auditum.

Quid si hanc arcem, qua se tuentur, expugnamus? nonne victa causa est, & ad exitum perducta quæstio? Sic igitur agemus. Primum nullam esse votorum, quam illi comminiscuntur, religionem, ostendemus. Deinde, vt etiam sit aliqua vlla in re, tamen in hac causa nullam esse debere demonstrabimus. De nomine *voti* nolim sit vlla inter nos contentio. Significetur hoc vocabulo promissio sponte suscepta, quæ Deo fit, de his, quæ ad Deum pertinet. Peto ecquod genus promissionis in scriptis sanctis notatũ reperiatur, præter generalẽ illam & necessariã, quæ in Baptismo suscipitur? Etsi non tam quidem promissio hæc, quam religionis Christianæ professio appellari debet. In veteri Testamento votorum fit mentio apud Ecclesiasten, Esaiam, Dauidem, Mosen: Sed ea cur ad Nouum trasferuntur? nulla ratio est. Nam, siue ad ceremonias, siue ad iudicia vota pertinebant, dubium non est, quin Christi aduentu sublata esse debeant. Si ad præcepta morũ pertinebat eorum nuncupatio, non Monachis tantum, & sacerdotibus aliis, sed omni generi hominum præcipietur. *Vouebunt*, inquit Esaias cap.19. *vota Domino & soluent*. Accommodat se Propheta ad captum Iudæorum, & verum cultum, qui Euangelii temporibus vigere debuit, notis sui seculi vocabulis designat. Ad quem modum Ezechiel prospiciens Christi tempora, templum instaurandum, victimas immolandas, alias multas ceremonias exercendas scribit: quæ nisi spiritualiter intelligantur, vanissime dicantur necesse est. Præterea, si tantum esset in voto, quantum esse volunt, cur à Christo nusquam dictum est, nusquam ab vllo Apostolorum mandatum literis? vel inuidia impulsi tantum bonum nos celarint oportet, vel nos illis prouidentiores simus, qui vias inueniendæ salutis, & perfectionis, quas illi non viderunt, inuenerimus. Sin viderunt illi quidem, sed quod paucorum esset hominum, reticuerunt: cur, quod nullius esset in hac

vita

vita ob summam difficultatem, præceperunt, nimirum, vt non concupiscamus, vt Deum ex toto corde diligamus? Efficiant primum ea omnia isti perfecte, quæ mandata sunt, tum se nouis legibus seruandis obstringant: si ea ipsa, quæ præcepta sunt, vix ac ne vix quidem seruari possunt, cur sibi nouas leges, & religiones indicunt? Cur ex veteri lege homines sibi præfidentes grauissima onera accersunt, cum nouæ legis iugum, quamuis leue, ferre nequeant? Quanquam ne in veteri quidem lege vlla vota fuerunt, quibus soluendis in perpetuum quispiam obligaretur. Ad tempus suscipiebantur vota, ac statim vt soluta erant, is qui erat voti reus, religione liberabatur. Perfectorum (inquiunt) est consilia exequi Euangelica; præcepta seruare vulgare est. Hoc quam verum sit, iam apparuit. Deum enim, qui ex toto corde diligat, nemo est; qui perpetuam virginitatem seruent, aliqui sunt, quibus hoc donum à Deo concessum est. Deinde, quæ ad perfectionem pertinent, præcepta sunt, & necessario etiam sine voto exequenda; si ex iis aliquid ad Christi gloriam & Ecclesiæ vtilitatem redundaturum est. Pugno in mala cæsus es, obuerte alteram ad accipiendam alteram plagam.

Inimicus tuus versatur in maximis calamitatibus: succurre ei grauissimo tempore. Hæc ita iubentur, vt omitti non possint, quando ad Christi gloriam, tuam salutem, & proximi vtilitatem pertinent. *Estote perfecti*, ait Christus, *sicut Pater vester cælestis perfectus est*. Et 2. ad Corinthios cap. 13. *Quod superest fratres, valete, perfecti estote, consolationem habete*. Et ad Colossenses 3. *vt stetis perfecti, & completi in omni voluntate Dei*. Et Geneseωs capite 17. *Ambula coram me & esto perfectus*. Præterea si perfectorum exequi consilia est, quid votis opus est? an sine votis effici non possunt? Vide ne etiam rectius, quam cum votis. Gratum enim nihil Deo est, quod coacte facias. Quæ recta sunt, iis ita demum delectatur Deus, si sponte suscepta sint & libenter. At qui voto aliquid facit, iam quasi lege coactus facit, quod facit, & metu tum pœnarum, tum dedecoris & infamiæ.

Itaque gestit animus violare semper aliquid, & identidem libertatem spectat. Vere enim dictum est:

Nitimur in vetitum semper, cupimusq. negata.

Ad hæc, ſi conſilia vouere perfectionis eſt, cur continentiæ tantum votum, obedientiæ, & paupertatis nuncupant, reliquorum conſiliorum nullum votum faciunt? Poſtremo, cur iſta perfectio, quam iactant, nusquam eſt prodita ſacris literis? cur Apoſtoli, qui ſalutem omnibus gentibus nunciabant, hanc tam excellentem viam parandæ ſalutis non oſtenderunt?

Opponent nobis alterum c. 18. & 21. vbi à certis hominibus vota nuncupanda eſſe ſcribitur. Sed, qui hæc loquuntur, animaduertere debebant, Iudaizantium eſſe illa vota, vt aperte contextus declarat, & initio naſcentis Eccleſiæ tolerari magis, quam probari potuiſſe.

Alter eſt locus in priore Epiſtola ad Timotheum capite 5. in quo puppis ac prora eſt horum ſententiæ. Differens eo cap. Paulus de viduis, quæ ad miniſterium Eccleſię aſciſcendæ eſſent, præcipit, ne eligatur minor natu quam annos ſeptuaginta. *Iuuenes autem*, inquit, *viduas reſpue, quoniam cum laſciuierint contra Chriſtum, nubere volunt, habentes damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt.* Primam fidem hoc loco votum eſſe interpretantur perpetuæ continentiæ, quod ſuſciperetur à viduis, quæ Eccleſiæ bonis alendæ eſſent: & hoc multorum autoritate Patrum confirmant. Non negamus Patrum aliquorum fuiſſe hanc expoſitionem, quam illi afferunt: ſed nihil vetat, quominus & aliter illum locum interpretemur. Per primam enim fidem non votum continentiæ, ſed ea fides, quæ in Baptiſmo data Deo eſt, intelligi poteſt: hoc ſenſu: quæ viduæ bonis Eccleſiæ aliquamdiu ſaginatæ, ſcortari & impudice viuere incipiunt (ita enim Hieronymus ad Gerontiã interpretatur τὸ καταστρηνιάσωσι) & alteras nuptias appetere, violant eam fidem, quam in Baptiſmo DEO dederunt: quia non ſatis funguntur officio Chriſtiani hominis, quod bonis Eccleſiæ ad flagitium, luxuriem, & turpe otium abutuntur. Atq; hæc expoſitio mirabiliter apta eſt ad Pauli propoſitum, & confirmatur duobus modis: tum quod primam dicit Apoſtolus: Baptiſmi autem fide nulla prior eſt: tum quod hac voce fides paulo ſupra idem Paulus pro integritate conſcientiæ vſus eſt, de viduis item loquens, his verbis: *Si qua vero ſuorum, maximeque domeſticorum curam non habet, fidem abnegauit, & eſt infideli deterior.* Non

enim

enim certe hic votum intelligi poteſt. Ac, ne fingere nos interpretationes nouas criminentur, Nicolaus de Lyra etiam hanc explicationem oſtendit; & Athanaſius libro 5. de Trinitate; & Hieronymus in præfatione in Epiſtolam ad Titum: & Vincentius Lyrinenſis in libo contra profanas omnium hæreſeωn nouationes in hac ſententia hæc verba, *Prima fides*, vſurparunt. Sunt, qui per primam fidem pactum accipiant, quod viduæ illæ cum Eccleſia inibant, hoc eſt, contractum, & ſtipulationem ſimplicem, ſi Eccleſiæ bonis alerentur, culturas ſe eſſe perpetuam caſtitatem corporis: à quo pacto ſi reſilirent, hoc damnationi illis fore dicit Paulus, id eſt, probro & vituperationi apud homines, quod inconſtantiam quandam & temeritatem argueret: Et fiebat fortaſſe, vt contumeliæ impatientes, & ignominiæ à Chriſto deficerent, & gentili nuberent: quod *poſt Satanam ire* Paulus videtur appellare. Neque Auguſtinus libro de ſancta virginitate capite 34. non videtur condemnationis nomen in hanc, quam diximus, ſententiam accipere. Quæ expoſitio probabilis inprimis eſt, & magnos viros defenſores habet. Ex quo apparet, votum hoc loco ſtabiliri non poſſe, cuius non vna eaque certiſſima ſit ſententia. Et cum nihil habeant præterea, quo ſententiæ ſuæ fidem firment, certum eſſe debet, omnem votorum religionem in Euangelica lege reſpuendam eſſe. Nam quod nonnulli Ananiam & Sapphiram eius vxorem ideo morte punitos à Petro contendunt, quod votum, quo ſe damnauerant, afferendæ integræ æſtimationis prædii, quod vendiderant, violarant, ſua commenta afferunt, qui hoc afferunt, non Scripturæ autoritatem. Nullum enim non modo votum, ſed ne promiſſio quidem apparet conferendi pretii agri diuenditi: contraque contextus ipſe clare oſtendit, nullam promiſſionem conferendæ pecuniæ interceſſiſſe, ſed prorſus liberam illam collationem fuiſſe. Quid enim ſibi volunt illa verba Petri, quibus Ananiam increpat: *Nonne manens tibi manebat*, &; *poſtquam vendidiſti, in tua erat poteſtate?* Quaſi dicat, nullo voto eras obligatus hanc offerre pecuniam, ſed integrum tibi ſemper fuit non afferre: ſed, cum tua ſponte attuleris, integritas tibi præſtanda fuit, neque de fraude cogitandum. Cur igitur tam grauiter in illos animaduerſum eſt?

Consule cõtextum, deprehendes hanc vnam esse causam, quod Spiritum sanctum tentarent, quod DEVM se fallere posse sperarent. Hanc nefariam cogitationem Petrus vlciscendam statuit, quo & DEI maiestatem vindicaret, & præconibus nouæ legis autoritatem miraculo conciliaret. Voti, aut promissionis ne per somnium quidem illo loco fit mentio. Sed, vt concedamus in Nouo Testamento votorũ religionem vllã esse, quod tamen non ita esse iam apparuit: continentiæ tamen voti religionẽ nullã esse debere, cõtendimus. Hæc enim altera pars est, quã demonstraturos nos esse diximus. Quæ enim religio in eo voto queat esse, quod per imprudentiam & ignorantiã suscipitur? Quotus enim quisq; est ex his, qui vouent continentiam, qui, & voti vim, & suam naturam cognitam habeat? Quis est, qui sciat, an is status Dei gloriæ, salutique suæ conueniat, semperq; conuenturus sit? Delirant greges Monachorum & reliquorum Ecclesiasticorum, quorum est continentia incontinentissima. *Stultis* autem *promissionibus non delectatur Deus,* inquit Ecclesiastes. Et imprudens votũ à Iephthe nuncupatum summopere Deo displicuit. Sunt igitur eiusmodi vota in eorum genere, quæ non sponte suscipiuntur (siquidem quod per ignorantiam fit, inuite fit) ideoq; rata esse minime debent. Recte Bernhardus: *malum, quod promisisti, ne facias: quod incaute vouisti, ne impleas.*

Verum, quod longe maximum est: contraria sunt hæc vota leg Dei, quæ coniunctionem maris & feminæ sanxit, ab initio orbis conditi, ad perpetuationem generis. Non potest autem humana vlla constitutio Dei legem abrogare, præsertim, quam perpetuam esse ipsa voluit. Nõ enim in primordio quidem mundi sanxit matrimonium, deinceps vero sanctum esse noluit, quod à quibusdam imperite dicitur: sed continentem esse propagationem sobolis iussit. Ideoq; fœcunda sunt corpora, vt quotidianum interitum continua propagatione suppleant. Ita vestiri terram graminum viriditate, arbores frondibus tegi & id genus alia, non eo tempore tantum, quo creata sunt, Deus voluit: sed quoad hæc mundi moles cohæreret, idq; vt præstare possent, vim ipse largitus est, quę neq; vi vlla hominis, neq; lege eripi potest. Paulus *vnumquemq; suam vxorem habere* vult, *propter fornicationem.* Et

eo-

eodem loco, *qui se non continet*, inquit, *nubat. Melius est enim nubere, quam vri*. Si fornicatio à Deo vetita est, vitari autem non potest fornicatio, nisi, vel perpetua continentia vel matrimonio; cur is, cui continentia non est data (*vnusquisq. enim suum donum habet*, inquit Paulus, *alius quidem sic, alius vero sic*) matrimonio vti prohibetur? In natura integra vnus erat finis matrimonii, generatio sobolis: In corrupta, accessit alter finis, fornicationis vitatio. Quo fit, vt multo magis indulgendum sit matrimonio, quam si integra natura esset, quod libido in nobis ardentior fornicandi periculum adfert. Quid igitur, qui arcent quenquam mortalium à matrimonio, nonne perinde faciunt, ac si quis nactus sit quempiam ita ægrotum, vt non longe abesse mortis periculum videatur: cui duæ quidem pateant ad salutem viæ, sed earum altera ob certam causam vti non possit; si altera prohibeat, qua vti possit, nonne iniurius sit, & illi misero mortis autor? Quid aliud agunt, qui interdicunt matrimonium! Capitale est vitium fornicatio, periculum est, ne in hoc vitiū prolabatur, effugi non nisi continētia & matrimonio potest. Continentia mihi à Deo data non est. Cur eripitur, quod reliquum est, ducendæ vxoris potestas? At nō ita Paulus peritissimus medicus animorum: *Nolo*, inquit, *vobis laqueum iniicere*. Et illud ipsum caput interpretans Ambrosius: *non debet quis constringi*, inquit, *ne à licito prohibitus, illicita adhibeat*. Et ad Timotheum scribens Paulus, *volo*, ait, *iuniores viduas nubere*. Occurrere enim periculo voluit, quod impendere videbat iis, quibus Deus continentiam non tribuisset. Lege pontificia irritum fit votum continentiæ, quod maritus, vxore non consentiente, vouerit: quia periculum est, ne vxor in fornicationem incidat. Et hæc lex rata vbiq; est, & recte quidem: cur Dei lex rata non est, in rescindendis, quæ sacerdos vouerit, cum idem periculum sit illi propositum?

Argute hic, vt ipsis videtur, interrogant aduersarii: quid igitur agendum, si vxor, quæ ducta sit vitandæ fornicationis causa, ægrotet? num alia superin ducenda? Minime vero. vtendum tamen erit continentia, quippe quæ à Deo nobis iam sit imposita, non nostra sponte indicta. Confugimus enim ad remedium fornicationis, quod ipse ostendit: in quo cum ipsi obediendum sit,

reli-

reliqua eius potestati & bonitati sunt permittenda. At Paulus scribens ad Corinthios ait: *DEVM non permissurum, vt vltra vires tentemur*, idcirco videtur quilibet promissam continentiam tueri posse. Si de viribus nostris Pauli sententiam intelligant, verum non est; cum vel minima tentatio quemlibet hominem queat percellere. Sin de viribus, quas DEVS suggerit, accipimus sententiam, quæ nostræ causæ mirifice suffragatur. Si enim ita tentetur quispiam, vt periculum sit, ne vratur, non hunc deserit Deus, non patitur vri; sed opem fert, manuque subleuat, & eius incontinentiæ medicinam facit per matrimonium. Pugnant vlterius: Christus iubet nos petere & accepturos pollicetur: *Quæcunque petieritis Patrem in nomine meo, dabo vobis.* vt hęc vera sunt, ita illud quoque verum est, quod ait Paulus, *quid petamus, quemadmodum oportet, nescimus.* Quæ sunt eius generis, vt sine iis ad salutem perueniri nullo modo possit, absolute petenda sunt, neque ea cuiquam petenti Deus abnegat. Quæ absolute non sunt ad salutem necessaria, neque semper concedit Deus, quia videt non expediturum; neque sunt absolute à Deo petenda, sed cum hac conditione, si hoc Christi nomini gloriosius, & nobis vtilius futurum est. In hoc genere sunt virginitas & cœlibatus. Non enim hæc sunt virtutum nomina, sed vitæ generum. Tantum solutior est à multis curis & occupationibus virginitas, quæ matrimonium necessario comitantur. Declarat hoc Nazianzenus pluribus in oratione funebri sororis suæ Gorgoniæ: *In duo diuisa est*, inquit, *vita: in nuptias, & virginitatem. Hæc sublimior est & diuinior: laboriosior autem & lubricior. Illæ vero humiliores ac securiores.* Et mox; *Neutrum horum, vel DEO penitus, vel mundo coniungit, rursusque dissoluit, ita, vt hæ propter naturam propriam penitus sint fugiendæ, illa autem nimis laudanda.* Et mox: *Carne autem conglutinari nequaquam separat à spiritu: neque si qua caput habet virum, ideo caput primum ignorat, sed parumper mundo ministrat & naturæ, quantum lex exigit carnis: sed illi potius, qui carni legem hanc tulit, DEO*

Quinimo Augustinus libro de bono viduitatis, capite 21. & citat. distinct. 27. c. *Quidam.* virginitatem Ioannis Baptistæ, non audet præferre coniugio Abrahæ. Et in concilio Gangrensi cap. 10. & repetitur distinctione 80. cap. *si quis propter*, sic statuitur; *Si quis*

quis ex his, qui virginitatem propter DEVM seruant, extollitur aduersus coniugatos, anathema sit.

Hæc ideo adscripsi, ne aduersarii, quod solent, Iouiniani nobis hæresin impingant, clamentque nos matrimonium æquare virginitati; nos vero anteponimus virginitatem matrimonio: at, cui diuinitus non est data virginitas, huic matrimonio, tanquam secunda nauigatione, vt Græcorum est prouerbium, vtendum censemus. Quod idem planissime suadet Eusebius de demonstr. Euangelica libro 1. capite 9. Scripsit Ambrosius, vt est apud Gratianum: *nuptias terram implere, virginitatem paradisum:* Quod ita intelligendum est, vt iam diximus. Nam si significaret nuptias prorsus abducere à paradiso, sic, vt qui vxorem haberet, ad paradisum venire nullo pacto posset, vera non esset Ambrosii sententia, magisque sacris literis, quam Ambrosio credendum. Quanquam alio loco, libro 1. de virginibus scribit idem Ambrosius: *virginitatem non posse imperari, sed optandam esse, & ad votum pertinere, non ad ministerium.*

Eodem modo dissoluitur nodus ille, quem ex Pauli dictis afferunt: *Omnia possum in eo, qui me confortat:* quæ nimirum ad salutem, & illustrandam Dei gloriam sunt necessaria. Alioqui enim cur non potuit à se auferre stimulum carnis, quod ter se à DEO petiisse scribit, nec impetrasse? siue is stimulus carnis capitis dolor fuerit, vt vult Chrysostomus & Hieronymus; siue calamitates infinitæ, quas perferebat propter Euangelium; vt alii interpretantur cum Ambrosio. Potest etiam Paulus de iis rebus loqui, quarum paulo supra fecerat mentionem: nempe humilem esse, excellere, cibum dare, egere, & id genus alia. Sed quid verbis opus est? Annon Pauli habemus testimonium in 1. ad Corinthios, quo ostenditur non esse cuiuis homini datum continere? *Vnusquisque*, inquit, *suum proprium donum habet, alius quidem sic, alius vero sic.* Quid? Christus ipse annon dixit? *Non omnes capiunt verbum hoc, qui potest capere, capiat.*

Ceterum deprauant hoc loco aduersarii Christi sententiam; & verbum *potest* idem valere, quod verbum *Vult*, affirmant. Refutat ipse Christus hanc expositionem, cum dixit, *non omnes capere verbum hoc.* Hieronymus item libro 1. contra Iouinianum his ver-

bis: *Si omnes virgines esse possent, nunquam Dominus diceret: qui potest capere, capiat:* Et Apostolus in suadendo non trepidaret, *de virginibus præceptum Domini non habeo.* & Augustinus de gratia & libero arbitrio capite 4. *Non omnes*, inquit, *capiunt verbum hoc, sed quibus datum est: quibus enim non est datum, aut nolunt, aut non implent, quod volunt. Itaque vt hoc verbum, quod non ab omnibus capitur, ab aliquibus capiatur, & Dei donum est, & liberi arbitrii.*

Iustinus Martyr, in secunda apologia, quam Antonino Imperatori dedit, cum odiosum esset Christianum nomen propter Gnosticos & Carpocratianos, qui vxores habebant communes: *sunt multi*, inquit, *in Ecclesia, qui se castrauerunt propter regnum cælorum: verum hoc non cuiuis datum est.*

Ambrosius quoque, vt iam diximus, *optari posse virginitatem* scribit, *imperari non posse.* Quæ igitur causa est, quamobrem Prælati continentiam exigant ab aliquo, quam præstare nemini possunt, ne sibi ipsis? Quod enim vel violaturus sis, vel coacte facturus, Deo placere non potest. In concilio Arausicano scriptum est: *Nemo quicquam Domino recte vouerit, nisi ab ipso acceperit.* Sic legitur: *quæ de manu tua accepimus, damus tibi.* Et tamen tanta turba in Papatu vouentium est, vt iam ludus esse, non religio vouere videatur. Neque vero hos religio ad vouendum mouet aut pietas, sed cupiditas otii, voluptatum, opum, immunitatum. Quibus rebus illecti virginitatem habent mercenariam: vt de Vestalibus virginibus scribit Ambrosius libro 1. de virginibus. At Christus non quosuis laudat eunuchos in Euangelio, sed qui se castrauerunt propter regnum Dei: tametsi ne castrant quidem se voluptuarii isti reuera, ob ista, quæ diximus, sed castrationem verbo tantum mentiuntur. Indicio sunt stupra, fornicationes, adulteria, incestus & alia nefaria crimina, quibus inuoluti sunt. Quin greges nothorum significant eos minime castratos esse. Citatur ab illis Phocion in priorem Epistolam, qui ait, *virginem Deo consecratam, si nubat, adulterum Christo inducere.* Nos contra Phocioni isti Cyprianum illum grauissimum & vetustissimum martyrem, cuius haud paulo maior autoritas est, ni fallor, opponimus: scribit autem & suo, & aliorum quorundam Episcoporum nomine, ad Pomponium de virginibus consecratis, his verbis

verbis: *Quod si sese ex fide Christo dicauerunt, pudice & caste sine vlla fabula perseuerent, ita stabiles & fortes præmium immortalitatis expectent: Si autem perseuerare nolunt, aut non possunt, melius est, vt nubant, quam in ignem suis deliciis cadant.* An scribi potest quicquam dilucidius à causa nostra? Iisdem pene verbis eadem sententia à Chrysostomo & Theophylacto expressa est, nisi quod græce illi locuti sunt, in illum locum Pauli: *volo iuniores viduas nubere* &c. Et ab Augustino libro de sancta virginitate capite 34.

Sequens horum autoritatem, seuerus ceteroquin votorum exactor, Pelagius, 27.q.1.c.de viduis, scripsit: *viduas, quæ castitatem vouerunt, quoad fieri potest, continendas in proposito esse, & à nuptiis deterrendas: sed tamen si continere se nullo modo possint, non esse illaqueandas, secundum Pauli sententiam, & ad Dei iudicium reseruandas.* Sed aduersarii, neque rationibus, neque autoritate grauissimorum virorum sunt contenti. Negant scriptum extare in Ecclesia vnquam accidisse, vt post castitatis votum ad nuptias sit itum. Quibus etsi verissime respondere possum, non probam esse hanc conclusionis rationem: Nusquam legimus votum continentiæ nuptias esse consecutas: Ergo consecutæ nunquam sunt: Neque nos, quid factum sit aliquando, sed quid fieri liceat, quærere; tamen etiam exemplis refutare illorum importunitatem possumus. De Arragonum quodam Rege scriptum legimus, eum monachum quandam vxorem duxisse. Annales Poloniæ habent, Casimirum Mecislai regis filium ex monacho diacono regem esse factũ, & vxorem duxisse concessu Benedicti IX. Quid dicent? annon solemne, vt ipsi vocant, votum est diaconorum, vt sacerdotum? An grauius esse potest votum eo, quod Monachi faciunt, de continentia, obedientia, paupertate? Innocentio III. non videtur, qui scripsit; *ne à Papa quidem hoc votum, quod monachi faciunt, dispensari posse.* Benedictus tamen IX. dispensauit. Ita Papæ pro sua libidine statuunt contraria: & quæ doctrina verbo Dei nixa non est, seipsa conficit ac conuellit. Verissime enim dixit Deus: *frustra me colunt docentes doctrinas, præcepta hominum.*

Sed peruelim mihi respondeat Romanus Pontifex: vnde & quomodo feudum habeat vtriusque Siciliæ? Si falsum dicet, historiis & annalibus refelletur: Sin verum fatebitur, inuitus cau-

ſam noſtram adiuuabit. Moleſte ferebat Cæleſtinus III. Tancredum Siciliæ imperio potiri. Itaque illius deturbandi cauſa Conſtantiam, Rogerii Nortmanni filiam, quæ iam pridem Panormi monachiſmum profeſſa erat, Henrico VI. Imperatori deſpondit, cum Sicilia, quæ vltra citraque Pharum eſſet, dotis nomine veniret, hac tamen conditione, vt feudi ius Romani eſſet pontificis.

Propter regnorum, inquiunt, tranquillitatem aliquid principibus indulgendum eſt. Probabilis ſcilicet ratio. Quaſi vllum regnum aut orbis ipſe vniuerſus pluris ſit, quam ſalus animæ infimi cuiuſque, pro qua Dei filius acerbiſſimam mortem ſuſcepit. Sed ſi verum licet dicere, idcirco non idem omnibus permittunt, quia non omnes tantum, quantum Reges, numerare poſſunt. Etſi, vtcunque ſit, ſatis eſt nobis demonſtraſſe, quod erat propoſitum, extare etiam exempla, quibus matrimonium, poſt factum votum, confirmetur: Et Stephanus Papa in orientalibus Eccleſiis ſacerdotes, diaconos, ſubdiaconos ait matrimoniis copulari. Leo epiſtola 87. nixus illis verbis Pauli: *Oportet epiſcopum vnius vxoris eſſe virum*; diſerte dicit, *epiſcopum eſſe poſſe, qui habeat vel habuerit vnam vxorem*: & addit, *diuinæ legis ſtatutis definitum eſſe, vt virginem ſacerdos accipiat, & alterius torum neſciat coniugis, quæ vxor eſt futura pontificis*. Hic dicit Leo diuina lege cautum eſſe, vt ſacerdos, ſi vxorem ducturus eſt, virginem ducat, non viduam. At Papa non modo, qui viduam habuerit in matrimonio, admittit ad ſacerdotium ſed etiam bigamum. Quod in Archiepiſcopo Panormitano fecit Lucius Papa, vt gloſſa teſtatur d. 34. c. *lector*. Paulo clamante oportere eſſe vnius vxoris virum, hoc eſt, vt ipſi interpretantur, monogamum. Tanta eſt in hoc hominum genere, & audacia in perrumpendo iure diuino, & in ſuis conſtitutionibus ſanciendis obſtinatio. Nam votum quidem aduentitium quiddam eſſe ad ſacerdotium, non diuina lege illi connexum, ne ipſe quidem Bonifacius IV. initio ſuæ conſtitutionis negat; dum ait, *voti ſolemnitatem ex ſola conſtitutione Eccleſiæ inuentam*. Et Auguſtinus apud Gratianum 26. c. 2. *ſacerdotum coniugium & conſanguineorum tantum Eccleſiaſtica lege interdici* ſcribit, *non Euangelica aut Apoſtolica*. Quocirca idem libro de bono viduitatis, peccare

care quidem eos scribit, qui post votum vxorem ducunt, tamen vera eos contrahere matrimonia, neque dissoluenda esse. Verba eius hæc sunt, quæ & à Gratiano citantur distinctione 27. *Quidam nubentes post votum asserunt adulteros esse: Ego autem dico vobis, quod grauiter peccant, qui tales diuidunt.* Itaque in Epistola 70. reprehendit Bonifacium Comitem, quod post votum factum vxorem duxerit; veruntamen esse matrimonium dixit, neque dirimi posse, nisi vxori persuaserit continentiam. In concilio tamen Moguntino etiam ea matrimonia tentauit Papa conuellere, quę iam ante contracta erant.

Canon Apostolorum VI. excommunicat & deiicit de gradu episcopum & presbyterum, qui religionis prętextu vxorem abiecerit. At si maritus, qui sit sacerdos, esse potest; cur, qui sacerdos sit, maritus esse non possit? Gratianus distinctione 27. c. *diaconus. Si Diaconus*, inquit, *à ministerio cessare voluerit, contracto matrimonio licite potest vti.* Quod cum Ancyrano concilio conuenit, cuius canone 10. statuitur, *vt diaconus vxorem possit ducere, si in ipsa ordinatione testatus sit, se continere non posse: sin testatus non sit, & vxorem tamen duxerit; pœna tantum hæc sancitur, vt deiiciatur, non etiam, vt irritum sit matrimonium, & per vim ad cœlibatum retrahatur.*

Neque est ad rem, quod dicunt, de diaconis hæc statui, de presbyteris non item. Nam solemne cum sit, vt ipsorum est opinio, & diaconorum, & presbyterorum votum, idem iuris in vtroque esse debet.

Sed de presbyteris in Neocæsariensi concilio idem perscriptum est, quod in Ancyrano de diaconis, idque clarissimis verbis: *Presbyter*, inquit, capite 1 *si vxorem duxerit, ab ordine suo deponatur: Quod si fornicatus fuerit, vel adulterium commiserit, extra Ecclesiam abiici debet, & ad pœnitentiam redigi.* In Papatu contra fit: sacerdos qui vxorem duxerit, extra Ecclesiam eiicitur; qui scortetur quotidie, qui alia ex aliis adulteria sequatur, qui nefariis aliis sceleribus sese inquinet, & tanquam sus in volutabro suo iaceat, ne mouetur quidem ordine. Quin sunt etiam, proh dolor! inter nefarios istos ganeones non infimi nominis, vt haberi volunt, catholicæ religionis propugnatores, in quibus principem sibi locum vendicat Pighius, qui minus peccare eos sacerdotes non

dubitent asseuerare, qui turpem cum scortis vitam agunt, quam qui malint nubere, quam vri, & à scelerata ad sanctam vitam transeunt. Quibus illud dictum obiter volumus, scortatores & adulteros ex regno Dei excludi, vt est passim in sacris literis: coniugibus, qui ex Dei instituto, sancto se matrimonii vinculo constringunt, si sancte vixerint, si in fide permanserint, cœlum patere. Epiphanus hæresi 61. tom. 2. libro 2. peccatum esse dicit, post votum vxorem ducere, sed tamen satius esse, quam quotidie scortari: Et adscribit causam grauissimam: *Satius enim est vnum peccatum facere, quam multa.*

Sed abutimur otio, qui fornicatores istos, & impuros scelerum patronos responsione vlla dignamur. Abeant in malam pestem, malumque cruciatum cum suis scortis, cumque sua ista impia sententia, quæ vix in prostibulis & lupanaribus, nedum in Ecclesia Dei locum inueniat. Sed ad rem. In concilio Constantiensi, & in authenticis Iustiniani idem prorsus decernitur, quod in Ancyrano & Neocæsariensi. Imo canone 19. Ancyrani concilii, hæc est constitutio vniuerse prolata: *quotquot virginitatem pollicitam præuaricati sunt, professione contemta, inter digamos haberi debebunt.* Et quod magis mirere, Synodus VI. *presbyterum, qui alteram vxorem duxerit priore mortua, cathedram retinere* iubet, *sed ab officio abstinere,* hoc est, non benedicere, non dispensare eucharistiam, aut alio modo ministrare.

Confirmauimus sententiam nostram luculentissimis rationibus, ex verbo Dei petitis, & autoritate incorruptæ vetustatis. Quibus aduersarii nihil, præter malas interpretationes scripturæ, & nuper latas pontificias leges, possunt opponere. Quæ tanto inferiora esse debent nostris argumentis, quanto est calumnia veritate, vetustas integra, corruptis non ita pridem institutis deterior. Nam si, quod verissime scripsit Cyprianus, antiqua consuetudo, quæ verbo Dei non consentiat, nihil est aliud quam vetustas erroris; sane quod nuper contra verbum Dei nouatum est, vehementer ab omnibus sanis respuendum est.

Hac habui, quæ de matrimonio, omni hominum generi, diuina ac naturæ lege permisso, breuiter dicerem: Quæ quidem nunc strictim attingere, non autem copiosius persequi licuit.

Quæ

Quæ tamen ipſa, cum his legationis, & publicorum munerum vinculis, Dei beneficio, ſolutus fuero, in maiori otio atque animi tranquillitate fuſius, &, ſi opus fuerit, maiore ſtudio ac diligentia tractari poterunt.

Deo ſit honor & gloria in omnem ſeculorum æternitem.

Petrocouiæ in comitiis generalibus regni Poloniæ: Menſe Iunio Anno M. D. LXVII.

FINIS COMMENTARII.

HOS

HOS DVOS LIBELLOS MVLTI VIRI *pii & boni publicari cupiuerunt: ac inter alios Ioh. Metellus Sequanus Coloniæ degens, qui Dudithium Tridenti viderat. Sed causam, cur opuscula hæc presserit Dudithius, aperuit isti Metello, Epistola, cuius partem ex autographo descriptam exhibemus.*

HVbertus Langnetus, V. C. quem ego plurimi, vt debeo, facio, & valde amo: cum tibi commentarium meum de coniugio laudauit, beneuolentiæ erga me suæ pluſculum indulsit: iudicio suo illo perspicaci, quo valet plurimum, non est vsus. Non equidem eo inficias, serio me in illud argumentum incubuisse, ac, cum priore libro causas matrimonii mei explicassem, in altero non mediocri diligentia ostendere conatum fuisse; contra naturæ & Dei legem, atque adeo veteris Ecclesiæ sanctiones, initiatos sacris, à coniugio repelli; sed ab aliis viris doctis melius hæc & fusius disputata sunt. Quare quod ego ad priuatam meam defensionem conscripseram, vt hero meo, *Diuo Maximiliano Cæsari Opt. Max.* causam meam, & facti mei rationes probarem; simulque obtrectatoribus obuiam irem, nihil necesse fuit, id in manus hominum emittere, ac typis mandare. Satis ineptiarum, & plus satis prouolat ex officinis. Huc accedit, quod prudentissimus Imperator, quem modo nominaui, scriptis ad me literis, vetuit, ne peruulgarem, *ne*, (inquit) *& tibi ipsi & nobis negotium facessas.* Et sane si in lucem prodiisset liber, in quo præter alia, facies Concilii illius sacrosancti scilicet, atque Oecumenici, suis coloribus depingebatur, nunquam equidem conquieuissem. Crabrones enim istos vestros irritassem, quibus nihil est aculeatius. Non est igitur, vt nugas illas meas, quæ tamen minime de nugis agunt, in bibliothecis requiras. In tenebris iacent, & tineas muresque pascunt. &c. V. *Script. Vratislauia 8 Maii Anno* XXC.

EPISTO-

EPISTOLAE QVAEDAM ἈΜΟΙΒΑΙΑΙ D. MAXIMILIANI II. ET Andreæ Dudithii.

Ex literis And. Dudithii ad Maximilianum II. Imperat. Petricouiæ 28 April. Anno 1567.

CLementiss. domine, Faciendum mihi existimaui, vt, quod iam fortasse multorum nunciis & sermonibus de me varie ad M.V.S. perlatum est, ego ipse his literis breuiter, quemadmodum res sese habet, explicem. Quod antequam facere aggredior, supplex oro, vt pro pietate & sapientia sua totum hoc factum meum in optimam partem accipere, meque, siue bene siue male fecisse iudicauerit, solita tamen sua clementia prosequi, neque me propterea gratia sua orbare velit. A multis annis Dei beneficio ita sensi, vt vehementer eos errare certo persuasum haberem, qui Ecclesiasticos homines, vt vocant, à matrimonio arcent. Quod quidem & sanctum inter homines, & honorabile, in omnibus, vt sacræ literæ habent, & à Deo ipso constitutum vinculum, nulla lex humana tanti æstimari debet, vt soluere posse videatur. Quis enim est ita emotæ mentis, qui Dei & naturæ legi contraria hominum mandata, non impia, & propterea etiam non reiicienda iudicet? Hinc est, quod in diuinis literis coniugii prohibitio dæmoniorum doctrina nominatur, & hæc vna inter alias notas, quibus Antichristus dignosci debet, recensetur. Quæ ipsæ sacræ literæ passim aperte docent, nullum nexum, nullam voti obligationem temere contra Dei iussionem susceptam valere, aut vllo pacto teneri. Ex quo quidem efficitur, eos, qui castitatis donum nacti, diuino munere, non sunt, nulla lege, nulla voti nuncupatione prohiberi à coniugio posse. Quinimo Dei iussu, si qui tales sunt, graui adiecta comminatione, turpem & fornicariam vitam atq; ementitum cœlibatum cum sancto & immaculato toro commutare coguntur. Fornicatores n. & adulteros è beatorum consortio excludit Deus, qui non omnibus,

mnibus, sed certis quibusdã tantum hominibus castimoniæ donum largitur, iis scilicet, quibus ipse vult. Nam arbitratu suo munera sua dispensat diuersis diuerso modo. neque omnes capere hoc verbum ipse Christus seruator noster sanctissimi oris sui oraculo docuit, qui etiam eos tantum, qui possunt id capere, mandat.

Quæ cum diu multumque animo meo reputassem; & per anteactæ vitæ meæ annos non sine grauissimo conscientiæ meæ vulnere expertus essem, me non esse ex illis vnum, qui verbum illud capere possim, sed ad aliud vitæ genus diuina prouidentia destinatum, ad remedium illud mihi confugiendum esse duxi; quod Deus ipse ad fugiendam turpem vitam, omnibus, qui eo egerent, non parauit solum, sed eo vtendum etiam esse voluit; iis qui secus facerent, æternæ mortis damnatione proposita. Itaq; cum Deo magis, quam hominibus obtemperandum esse intelligerem, ne me prudens, sciensque in gehennam præcipitarem, posthabitis opib. & honoribus, atque omnib. iis commodis, quæ mundus dare solet, quæque ego partim in manibus iam habebam, partim à M. V. S. benignitate, & in me clementia certo mihi polliceri poteram, iam inde à biennio animum ad ducendam vxorem & vitam caste traducendam adieci. Quo in proposito ita me Deus diuino spiritu suo indies confirmauit, vt ante conquiescere non potuerim, quam rem ad exitum prorsus perducerem.

Itaque in sereniss. Reginæ gynæceo nobilissimam & moribus ac muliebribus omnibus virtutibus ornatissimam virginem ab ipsa serenis. regina iam inde à teneris annis sanctissime educatam, matre, fratribus consanguineisque eius in consilium adhibitis, vxorem duxi; Qua cum, Deo volente, ad extremum vsque meum spiritum in omni fortuna, vt bonum & Christianum maritum decet viuere, in summa animi & conscientiæ tranquillitate cogito. Neque est vlla res alia, quæ hanc mihi pacatæ conscientiæ quietem perturbare possit, quam si ab hoc factum meum, M. V. S. gratia exciderem; Quod ne eueniat, Deum Opt. Max. assidue precor, & M. V. S. humilimo ac demisissimo animo obtestor. Intelligit iam M. V. S. quamobrem ego iam ante biennium

nium & coram & per literas & per amicos & patronos meos, tanta contentione clementem missionem à M. V. S. efflagitauerim, quam vt iam tandem impetrem, ardentissimis precibus oro. Non enim licet mihi salua conscientia diutius illud vitæ genus persequi, in quo hactenus versatus sum. Quare humilime M. V. iterum atque iterum supplex oro, vt mihi benigne quam primum respondere velit. Absoluta enim hac legatione mea, M. V. S. bona gratia, ego statim ad vxorem meam me conferam. Neque enim rationes meæ, aut etiam M. V. S. patiuntur, vt ego mutato habitu & statu re iam diuulgata in M. V. S. conspectum hoc tempore veniam, & me vltro hominibus in aula M. V. præsertim Ecclesiasticis ad contemtum & contumeliam obiiciam.

EX LITERIS IMP. MAXIMIL. AD
Andr. Dudith. Pragæ 10. April. 1567.

CEterum quod spectat ad priuatum negotium tuum, & vitæ deinceps transigendæ rationem ac institutum, quamuis certe ob præclaram fidem, eruditionem, industriam, & alias virtutes tuas, te admodum libenter in aula nostra retineremus, tuaque opera in iis, quæ nobis quotidie solent occurrere, rebus in futurum quoque vteremur: quia tamen videris proposito tuo ita mordicus inhærere, vt nulla te ratione à sententia patiaris amoueri; nos v. non consueuimus quenquam, vt inuitus & cum salutis aut rerum suarum dispendio maneat, cogere; tibi quoque pro ea gratia, qua te propter egregia merita tua complectimur, quam tantopere humilimis & instantissimis precibus efflagitas, missionem ac licentiã ex aula nostra Cæsarea, clementer concedimus, dummodo legationem hanc prius, solita fide, cura & diligentia tua absoluas, &c.

LITERÆ TESTIMONIALES IMPE- *rat. Maximil. de Andr. Dudith.*

MAximilianus ſecundus diuina fauente clementia Electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtenbergæ &c. Comes Tirolis &c. Notum facimus tenore præſentium vniuerſis, quod, cum nobis humiliter fuerit ſupplicatũ pro parte egregii fidelis nobis dilecti Andreæ Dudith Sbardellati, olim Epiſcopi Quinque-Eccleſienſis, vt dignaremur ipſi benignum teſtimonium perhibere fidelium obſequiorum, quæ nobis hucusque præſtitit, præſertim in legatione, qua functus eſt de mandato noſtro proxime elapſo biennio & amplius apud Sereniſſimum Principem Sigismundum Auguſtum regem Poloniæ, magnum ducem Lithuaniæ ac Ruſſiæ, Pruſſiæ, Moſcouiæ, Samogitiæque dominum ac heredem, fratrem, ſororium & conſanguineum noſtrum cariſſimum, quo poſſit eiusmodi teſtimonii præſidio ſeſe vindicare ab aduerſariorum & obtrectatorum cauillationibus, ſi qui forte fidem ipſius in dubium vocaturi, eumque nobis in dicta legatione non ſatis fideliter inſeruiiſſe criminaturi eſſent. Nos ſane exauditis iſtiusmodi humilimis precibus, vt quæ rationi & æquitati non videntur repugnare, tenore præſentium, ex certa noſtra ſcientia, animoq; bene deliberato teſtamur & profitemur, præfatum Andr. Dudith olim Epiſcopum Quinque Eccleſienſem in memorata legatione Polonica probe nobis ſeruiiſſe, omniaque negotia, quæ ipſi per nos demandata fuerunt, ſingulari fide, integritate, cura ac diligentia tractaſſe, ita vt non ſolum reprehenſionem ſeu offenſionem aliquam apud nos legationis illius cauſa non incurrerit, ſed nobis etiam affatim ſatisfecerit, quemadmodum antea quoque, dum in aula noſtra verſatus eſt, nihil in eo, quod fidelem ac probum ſeruitorem decet, deſiderauimus. In cuius rei fidem etiam euidens teſtimonium præſentibus literis manu noſtra ſub-

ſcripſimus, & ſigillum noſtrum imprimi iuſſimus. Datum in ciuitate noſtra Vienna 16. Aug. Anno Domini 1567. Regnorum noſtrorum Romani & Hungarici quinto, Bohemiæ vero decimo nono.

EX LITERIS CAESARIS MAXIMILIANI, *Poſonio I. Iulii M. D. LXVII. datis.*

ILlud nobis perſuaſum eſt, ſi in eo, ad quem ſemel te vouiſti & iureiurando obſtrinxiſti, ſtatu eccleſiaſtico permanſiſſes, ac Dei gratiam ex imo pectore & deuoto corde, implorauiſſes, quæ petentibus & pulſantibus non ſolet denegari, quod pro eruditione & induſtria, aliiſque egregiis animi dotibus, quibus te ornauit Dominus, potuiſſes tum Eccleſiæ, tum nobis ipſis ac ſuauiſſimæ patriæ tuæ & vniuerſæ Chriſtianæ reipub. bonam operam nauare. Mallemus certe, quod rebus tuis aliter conſuluiſſes, & cauſam nobis præbuiſſes, te amplioribus indies ornamentis & gratiis cohoneſtandi. Sed quoniam factum infectum fieri non poteſt, nos benigne attentis humilimis precibus tuis, ne innatæ noſtræ clementiæ vllo in loco defuiſſe & præteritorum quoq; fidelium obſequiorum tuorum omnem memoriam abieciſſe videamur; ne in hoc quidem caſu te gratia noſtra omnino deſtituere volumus.

EX RESPONSO ANDR. DVDITH. AD *ſuperiorem literarum Cæſaris particulam.*

AD alteras M. V. S. literas, quibus coniugium meum reprehendere videtur, habeo equidem in promtu, quod copioſe reſpondeam. Sed hoc tempore non viſum eſt mihi grauiſſimas M. V. S. occupationes, quibus in Comitiis iſtis Hungaricis diſtinetur, longiore epiſtola interpellare. Scripſi duos li-

 bellos,

bellos, altero facti mei excusatio continetur, & consilii ratio redditur, altero ex S. literis ostenditur, me non reprehensione sed commendatione potius dignum esse, quod sanctum atq; à Deo ipso institutum matrimonium profano atque ab impiis hominibus nefarie excogitato ac fœdo cælibatui anteponere voluerim: quos ego libellos, cum M. V. S. magis vacare intellexero, ad defensionem & causæ meæ propugnationem mittam. Quamuis equidem, si recte mihi cognita est M. V. S. pietas ac prudentia, nihil mihi his adiumentis opus apud eam fuerit ad purgandum factum meum, cum ipsa per se satis intelligat, Dei institutis humana figmenta cedere oportere, præsertim cum hæc illis ita aperte aduersentur, & ex diametro pugnēt: quo de genere coniugii prohibitio est, quam D. Paulus (vt proximis quoq; literis M. V. S. in memoriā reuocaui) merito dæmoniorum doctrinam vocat. Neq; vero illud mihi fraudi debet esse, quod ad aliud me vitę genus obstrinxerim: Nam præterquā, quod hoc loco vere illud, sed cū dolore & summa pœnitentia vsurpare possum, Iuraui lingua, mentē iniuratam gero, & gessi sane eo tempore, cum impia illa, atq; ipsi etiā Rom. Ecclesiæ ante hæc tempora plane inaudita formula & concepta quædam, atque ab ipso mendacii patre, sine dubio dictata verba imprudenti mihi & nihil sane eiusmodi cogitanti ex improuiso, insidiose ac fraudulenter ad legendum obiicerentur: illud quoq; audacter dicere possum, displicere ac despicatui esse Deo stultam promissionem. Quid autem stultius est, quam ad ea se voto obstringere, quæ non ex te, sed aliunde pendent? Quis vnquam sanus aliena se cuiquam daturum esse iureiurando affirmet, quæ quidem ipse, nisi is, cuius ea sunt, assensus fuerit, dare nequeat? Quod si ille nolit, quis hunc tamen voto teneri dicet, cum non nisi ea facere & præstare quisque teneatur, quæ possit, quæque vires non superent. Non vult Deus ea nos præstare seu promittere, quæ non nostri iuris sunt. Nam ipsius est donum castitas, cuius non omnes, sed quos ipse tantummodo vult, participes facit. Quare ad ea præstanda, quæ à nostra potestate exemta sunt, obligare nos neque possumus neque debemus. Quod autem additur, ad implorationem gratiæ diuinæ confugiendum fuisse, quæ petentibus denegari nō soleat, id quidem

dem non ita accipiendum in S. literis videtur, vt ad quamlibet petitionem nostram statim Dei nobis opem præsto fore intelligamus. Nam definitæ sunt res, quæ, si petantur, nobis à Deo concedi solent: qui preces nostras tum demum exaudit, cum id nos ab illo petimus, quod ipse à se peti vult. Si contra vero id orabimus, quod nos ipse habere non vult, irritus erit noster omnis labor. Eius rei quotidiana & obuia sunt exempla, quæ quisque nostrum experitur. Ac si vetera memoria repetere lubet, non longe abierimus. D. Paulus ipse vas electionis, cum à Satana cęderetur, liberari se petebat, & tamen id quod petebat, non est cōsecutus. Vnusquisque proprium donum habet à Deo, alius quidem sic, alius vero aliter, vt idem Paulus docet. Cum autem fornicatoribus & adulteris cœlum sit clausum, & ad cauenda horum scelera, medicina Dei ipsius manu facta sit, impium est ab ea abstinere eos, qui verbum illud capere non possunt: quod quidem ipse Seruator noster Christus non omnes, sed quibus datum est, capere asserit. Quem cōtinentiæ dono præditum esse voluit Deus, in eo libidinis quoq; flammas extinxit. Quem vicissim ad coniugium destinauit, aliam ei mentem indidit, & quandam eorum sensibus vim adiunxit, quam non esse otiosam, sed ad fructus proferendos, atq; ad procreationem pertinere voluit. Quare si ex iis aliqui, quos Deus huic vitæ generi addixit, continentiam petant, frustra eum appellabunt, & illud responsum ferent, Nescitis quid petatis. Sed de his nolo hoc tempore fusius cum M.V.S. agere, fiet id posthac Deo approbante, cum ipsi maius otium suppetet. &c.

Atque hæc Dudithius ad D. Maximilianum II. Imp.
Sequuntur aliquot Epistolæ D D. Ferdinandi & Maximil. Impp. de Concilii Tridentini negotiis.

BEATISIMO IN CHRISTO PATRI

& Domino PIO QVARTO, Diuina prouidentia sacrosanctæ vniuersalis Ecclesiæ summo Pontifici, domino Reuerendissimo.

Beatissime in Christo pater & domine, domine Reuerendissime: post humilem commendationem filialis obseruantiæ nostræ continuum incrementum. Si vnquam alias, his certe proximis diebus gratissimum nuncium nobis allatum est, quando nimirum (quod felix ac faustum sit toti Christianæ Reipublicæ) intelleximus, Sanctitatem vestram Reuerendissimorum D. D. Cardinalium vnanimi consensu, Spiritus sancti gratia cooperante, ad fastigium summi Pontificatus, & supremum sanctæ Romanæ & vniuersalis Ecclesiæ curam, atque administrationem electam & susceptam esse. Nam præterquam quod hæc lætitia sit, & esse debeat publica, atque communis omnibus Christianis, & iis præsertim, qui afflicto Religionis & omnium Rerumpublicarum statui consultum cupiunt, eo quod diuina benignitate talis Pastor Ecclesiæ Dei obtigerit, qui præditus sit tot virtutibus, eius eximiam prudentiam, sapientiam, summamque pietatem, & præclarissimum in rem Christianam studium eidem Reipublicæ Christianæ non nisi maximo ornamento & commodo futurum: nobis tamen specialis etiam causa est lætandi propter veterem notitiam & familiaritatem nobis à plurimis iam annis cum Sanctitate vestra intercedentem. Cui quidem tuendæ & conseruandæ Sanctitas vestra nullis vnquam officiis defuit. Eam vero nostram lætitiam, cum ita commota esset primo illo nuncio, vt eius incremento vix videretur reliquus esse locus aliquis, auxerunt tamen, supra quam dici queat, literæ consiliarii & oratoris nostri, nobilis fidelis nobis dilecti Francisci liberi Baronis de Turrinec, non ea, quę nobilis fidelis nobis dilectus Georgius à Madrutio liber Baro, coram nobis retulit, summam illam paternam beneuolentiam, concernentia: quam Sanctitas vestra non modo in his sermonibus, quos cum eo sæpius

post

post auspicatissimam suam electionem conferre dignata est: verum etiam in publica sacri illius collegii Reuerendissimorum Dominorum Cardinalium congregatione erga nos palam declarauit, vbi scilicet tam amanter, tam paterne, tamque sapienter negotio, & difficultati illi, quam olim nobis sanctitatis vestræ prædecessor Paulus Quartus mouerat, iustum & optatum finem imponere voluit. in qua quidem re pluribus explicando, non est, quod has literas nostras absumamus, præsertim cum id apud Sanctitatem vestram, quæ eius est summa æquitas, superuacaneum censeamus, vt quæ causæ nostræ rationes non omnino habeat incognitas: sed tamen si sanctitas vestra vberiorem adhuc & exactam istius negotii notitiam teneret, clarius adhuc cognitura esset, quam præter omnem rationem & æquitatem, & absque omni culpa nostra diuersis cauillationibus onerati, & traducti fuerimus, quibus iam tandem appositum esse iustum finem, merito sanctitatis vestræ, cum optimæ ac paternæ erga nos voluntati, tum eximiæ integritati, ac iustitiæ acceptum ferimus. Porro licet hoc triduo vel quatriduo hinc profecturus sit solemnis noster orator, cui munus sanctitati vestræ nomine nostro, qua par est, submissione congratulandi debitumque & solitum reuerentiæ ac deuotionis officium more Dominorum prædecessorũ nostrorum electorum Romanorum Imperatorum præstandi imposuimus, tamen cum is non possit illuc peruenire tam breui, quã nos vellemus, equidem teneri non potuimus, quin hasce literas nostras præmitteremus, quibus saltem possit quadamtenus satisfieri ardentissimo nostro desiderio sanctitati vestræ animi nostri candorem quamprimum contestandi. Quamobrem non modo sanctitati vestræ ex animo & obsequenter congratulamur, sed etiam pro illa mirifica in nos paternæ & piæ voluntatis suæ demonstratione, quas possumus, maximas agimus & habemus gratias: eidem sanctitati vestræ ingenue pollicentes, nos summo studio operam daturos, vt necubi sanctitas vestra nullum vel grati animi, vel filialis obseruantiæ sanctitati vestræ & isti sanctæ sedi debitæ officium in nobis requirere possit. Deum optimum maximum summis precibus orantes, vt pia sanctitatis vestræ consilia & instituta ad laudem diuinæ suæ Maiestatis ac beneficium to-

tius orbis conuertere, eamque diu saluam & incolumem tueri ac conseruare, ac prosperis rerum successibus omnique demum felicitatis genere fortunare dignetur. De qua quidem nostra studiosissima intentione, ac filiali erga sanctitatem vestram, & Apostolicam sedem obseruantia & deuotione, supradictus noster Orator Franscíscus liber Baro de Turri sanctitati vestræ pleniorem fidem facere poterit: cui dignabitur sanctitas vestra de his & aliis rebus, cum ea humiliter tractaturo, interim dum alter noster orator subsequatur, benignas aures præbere, & nos quoquo loco & tempore paterne ac beneuole commendatos habere.

Datum in ciuitate nostra Vienna die XVI mensis Ianuarii Anno domini M. D. LX.

Sanctitatis vestræ

humilis & obsequens filius

FERDINANDVS

LITERÆ IMPERATORIS FERDInandi ad Pium IIII. Pontificem Max.

Beatissime in Christo pater, cum proxime præteritis diebus diuina benignitate feliciter confectis grauissimis illis negotiis, quæ partim cum Electoribus ac Principibus sacri Romani Imperii, partim vero in prouinciis nostris Austriacis ad Rhenum sitis, tractanda habuimus, in hunc nostrum comitatum Tirolensem peruenissemus, quo nos non modo res nostræ priuatæ vocarunt, verum etiã propinquitas loci, in quo hoc tempore sacrum generale concilium celebratur, inuitauit, vt pro ea cura, quæ nobis, vt Imperatori Romanorum, & supremo Ecclesiæ aduocato & protectori incumbit, salutẽ & vtilitatem ipsius promouendi, de eius statu exacte edocti, ei quacumq; in re opus foret, fauore, patrocinio & auxilio nostro præsto essemus: magno profe-

cto

cto cum animi nostri dolore intelleximus, res sacras illius synodi non eo modo ac ordine procedere, quo nos cum omnibus piis vellemus, & afflictus Republic. Christianæ & præsertim oppressæ ac deficientis indies magis ac magis Catholicæ nostræ religionis status exposceret, ita vt verendum sit, nisi propere salubria adhibeantur remedia, is futurus sit concilii exitus, qui & vniuerso Christiano orbi scandalum & offensionem præbeat, & iis, qui ab obedientia sanctitatis vestræ ac sanctæ sedis apostolicæ recesserunt, ridendi materiam, & illas, quas amplexi sunt, alienas & discrepantes ab orthodoxa fide nostra opiniones maiore obstinatione retinendi incitamentum exhibeat. Vt enim multa alia taceamus, certe valde inconueniens videtur, rem in eum locum iam esse deductam, quod iam aliquot mẽsium spatio nulla fuerit celebrata sessio, & quod grauius est, dum nos & alii Christiani orbis reges & principes catholici gaudentes antiqua Catholicorum vnitate & concordia, speramus Dei beneficio aliquando futurũ, vt Catholicæ religionis nostræ aduersariis inter se opinionibus & hæresibus distractis & inuicem altercantibus ac pugnantibus, orthodoxa fides nostra reflorescat, sicuti certe manifestum est, eorum discordias ad restaurãdam religionem Catholicam plurimũ afferre momenti, proh dolor! ipsi quoq; patres & doctores in cõcilio existentes ad contentiones & dissidia, cum maxima iactura, & dictorum aduersariorum iubilatione prorumpere incipiant.

Quæ quidem incommoda, sicuti S. V. nequaquam latere arbitramur, ita quoque persuasum habemus, sanctitatem vestram, quæ eius est eximia pietas, & optima in rem Christianam voluntas, vt communem parentem, lubenter eas vias & rationes inituram, per quas exortæ difficultates explicari, & negotia illa ad gloriam & laudem diuini nominis & ad beneficium vniuersæ Christianitatis dirigi queant, vt tandem superatis præsentiũ dissidiorum & motuum procellis optatum quietis portum attingamus.

Circumferuntur quidem rumores & sermones quorundam non admodum commodi, neq; nobis grati, videlicet S. V. cogitare de dissolutione vel saltẽ suspensione ipsius cõcilii: quib. tamen rumoribus nescimus, quanta sit tribuenda fides, & existimamus S. V. si quid eiusmodi habet in animo, hoc potissimum perplexo

& intricato rerũ statu, qui videtur esse in concilio, ad id fuisse inductã Nos vero (vt sanctitati vestræ pro eius æquanimitate & paterna in nos volũtate, mutuoq; nostro in sanctitatẽ vestram filiali studio, quod sentimus, ingenue patefaciamus) longe secus iudicamus. Etenim nostro iudicio præstaret nunquam cæptum fuisse concilium, quam imperfectum relinqui & suspendi, nedum præter nostram aliorumque regum & principum Catholicorum expectationem & consensum prorsus abrumpi atque dissolui: in qua sententia confirmamur non leuibus, vt nobis videtur, rationibus. Timendum namq; foret, ne ex ista dissolutione aut suspensione, vltra scãdalum, quo totus offenderetur orbis Christianus, ac præter sanctitatis vestræ & totius ordinis ecclesiastici contemptum & vilipendium ac præiudicium, quod & huic & futuris Oecumenicis concilis inferretur, alia quoq; irreparabilia mala mox consequerentur, maior videlicet à Catholica religione defectio, & iactura interitusq; illarum etiam exiguarum reliquiarũ populi Catholici, quæ adhuc supersunt, cum in sacri Romani imperii ditionibus ac regnis ac dominiis nostris hereditariis, tum & in allis regnis atque prouinciis, siquidem frustratæ ea, quam in hoc concilio posuerant, fiducia, ipsæ quoque seductoribus aures facilius essent præbituræ. Neq; defuturos crediderimus, etiam ex Catholicis, qui interpretarentur eiusmodi dissolutionem vel suspensionem fieri studio impediendæ reformationis, quam à tot annis expectamus & requirimus, tamque necessiariam iudicamus, vt sine ea frustra esse videatur meliorem Ecclesiæ statum sperare. Ad hæc sanctitas vestra procul dubio recordatur, haud ita pridem mentionem fuisse factam instituendorum conciliorũ nationalium. Ea vero, quia sanctitas vestra semper iudicauit, sine summo discrimine & miseranda animorum distractione celebrari non posse, omnibus modis illa sibi impedienda esse duxit, neq; commodiorem aut efficaciorem euitandi huius periculi inuenit, quam generalis & œcumenici concilii celebrationem. Itaq; nunc sanctitati vestræ sapienter expendendum & considerandum relinquimus, annon pleræq; Christianæ Reipublicæ nationes dissoluto aut suspenso generali & œcumenico concilio arrepturæ essent occasionem refricandi & reuocandi factam à quibusdam ante

antehac mentionem nationalium synodorum, vtcumq; nunc sopitam, adeoque ad rem ipsam omni vlteriore cunctatione remota deuenturæ.

Quod illarum institutum, si omnino decreuerint in illum euentum executioni committere: non videmus, quæ tandem huiusmodi conatibus sese opponendi aut eosdem remorandi facultas sit superfutura.

Quocirca existimamus vnicum esse medium, quo tot & tam insignes difficultates atq; incommoda præcauebuntur, si sanctitas vestra non patietur concilium hoc generale dissolui, neq; suspendi, sed operam datura est, vt id per vias debitas & competentes ad felicem & optatum exitum perducatur. Quod & ipsum nō aliter fiet, nisi fiat serio tamdiu expetita reformatio, ipsique concilio salua & integra sit antiqua & solita sua libertas, ita vt, quemadmodum informati sumus a piis & eruditis viris, in priscis plerisque conciliis, & præsertim iis, quæ pro præcipuis habentur & sancta vocantur, obseruatum fuisse, liceat nunc quoque non solum sanctitatis vestræ legatis, verum etiam patribus ac insuper nostris ac aliorum regum & principum oratoribus & procuratoribus proponere, quæ quisq; vniuersaliter ad conseruandam religionem Catholicam, ac obediētiam sanctitati vestræ & sanctæ sedi apostolicæ debitam pertinere, vel particulariter cuiusq; regni aut prouinciæ necessitatem & vtilitatem postulare cognouerit: Patribus vero libere & sine metu aut respectu dicere & discernere, quæ cuilibet Spiritus sanctus & conscientia suggesserit, seruato vtrinque bono ordine, per quam facile euitabitur, si quæ timetur in hac parte, confusio, ita vt non opus sit de his rebus, quæ per concilium sunt determinādæ, aliorsum extra concilium recurrere: & plane confidimus S. V. nequaquam consilia sua cōuersuram aut permissuram, vt hoc tempore exulceratissimo ac turbato rerum statu in celebratione concilii, contra exempla maiorum, noui quicquam introducatur, quo libertas ipsius concilii quodammodo impediri seu violari videatur: sed eam sartam tectamque conseruaturam, ac simul etiam apud legatos & patres concilii curaturam, vt negotium reformationis considerata eius ineuitabili necessitate, omni, quo poterit, studio promoueatur.

Quo nomine sanctitatem vestram impensissime oramus & obsecramus.

Neq; vero sanctitas vestra hoc loco suspicari velit, quod magnis à sanctitate vestra precibus petimus, nos id agere, vt sanctitati vestræ legem præscribamus, aut eam, quomodo officio suo pastorali fungi debeat, instruamus, cuius sapientiam, pietatem & in regenda ecclesia felicitatem magnifacimus, aut etiam, vt eam superioritatem, dignitatem vel actuoritatem, quæ eidem S. V. iure ac merito competit, labefactemus, vel in dubium vocemus: Cuius tuendæ & conseruandæ hactenus semper fuimus, erimusque posthac quoquo tempore studiosissimi, non recusaturi, eam ob causam vllos vnquam labores, curas & molestias adeoq; fortunarum & salutis discrimen, si necessitas postulet, subire. Sed posteaquam varia ad nos de præsenti statu concilii allata essent, quib. homines tam à sanctitate vestra, & sede apostolica, quam à concilio magis magisque alienari viderentur, & quæ grauioribus incommodis ansam facile præbere possent: existimauimus nostras partes esse, tanquam primogeniti & obedientissimi ecclesiæ filii, eiusdemque aduocati, vt sanctitatem vestram de iisdem certiorem redderemus; &, vt ipsa prudentia sua diuino inuocato auxilio ab Ecclesia tanta mala propulsaret, officiose rogaremus & cohortaremur: id quod sanctitatem vestram speramus pro animi sui moderatione, & paterno in nos amore, benigno & æquo animo laturam, & iis, quæ commemorata sunt, incommodis aptum & conueniens remedium adhibituram esse.

Qua in re pollicemur nos S. V. filiali nostro auxilio affuturos, omniaq; ea præstituros esse, quæ ad nos pro ratione muneris nostri Cæsarei pertinere dignoscentur.

Et quoniam testantur historiæ præsentiam summorum Pontificum & Imperatorum in conciliis Ecclesiæ & Christianæ Reipublicæ maximam sæpe attulisse vtilitatem, vt nos hanc quoque operam Christiano orbi in hac summa necessitate præstemus, volente Deo ipsi lubentissimo animo, ac sepositis omnibus aliis grauissimis nostris difficultatibus ad cōcilium veniemus, & progressum eius præsentia nostra, quoad eius vnquam fieri poterit, promouere studebimus: sanctitatem tamen vestram hoc loco iterum atq;

atque iterum enixe rogamus, vt & ipsa id laboris suscipere & afflictæ Ecclesiæ sua in concilio præsentia, tanquam fidelis pastor, & pius pater benigne consulere non grauetur. Ita namq; sperandũ erit, exortas difficultates paruo negocio explicari & extingui, & quæ absente sanctitate vestra incõmoditates in posterum facillime cum ingenti concilii perturbatione, & impedimento, nec non sanctitatis vestræ insigni molestia excitari poterunt, præcaueri & reprimi posse. Ita, vt tandem diuina benignitate omnia suo debito ac legitimo ordine ad optatum & lætum finem perueniant, atque ad laudem & gloriam Dei demum Ecclesiæ pristina pax, vnitas & concordia, restituatur: ad quem scopum duntaxat omnia nostra consilia, omnesq; cogitationes & actiones nostræ respiciunt, nec dubitamus, sanctitatem vestram ad eundem vna nobiscum finem tẽdere, à qua ad hæc officiosa, & è puro corde & Christiano zelo profecta scripta primo quoq; tempore benignũ & paternum responsum expectabimus. Quam Deus misericors Ecclesiæ suæ quam diutissime saluam & incolumem seruet.

PETITIONES ORATORVM CAEsareæ maiestatis.

1. Orandum inprimis summum Pontificem, vt seipsum & Romanam curiam reformari benigne patiatur.

2. Vt numerus Cardinalium reducatur, si non ad duodenariũ, saltem ad duplicatum, cum duobus supernumerariis, nempe 26.

3. Prouidendum, ne fiant amplius dispẽsationes scandalosæ.

4. Reuocandas omnes exemptiones contra iura communia passim concessas, Monasteriaq; omnia sub Episcopi potestate constituenda, sub cuius sunt diœcesi.

5. Tollendam prorsus pluralitatem beneficiorum, & statuẽdum, quod singula collegia singulas erigant scholas. Et quod ecclesiastica non dentur conductitiis presbyteris.

6. Episcopos omnino ad residentiã cogendos, nisi in extrema Ecclesiæ necessitate, vt officia sua per se ipsos, nõ per vicarios exerceãt. Quod si episcopi nõ sint idonei vel potẽtes, nõ vni vicario

toti-

totius diœceseos curam mandandam, sed pluribus personis: & Theologis theologica, & Canonistis canonica negotia, insuper visitationes diœcesianasq; synodos quotannis habendas.

7. In Ecclesia omnia ministeria gratis præstanda, & quæ sunt adeo tenuis reditus, vt ministeria Ecclesiæ absque quotidianis emolumentis nequeant supportare, incorporanda cum aliis beneficiis, non curatis pinguioribus.

8. Reuocandos Veteres canones contra simoniacam prauitatem.

9. Fortassis expediret humanarum sanctionum multitudinē nonnihil contrahere, superfluis resectis, ac Prælatos suas constitutiones æquare obligationi iuris diuini.

10. Excommunicatione non vtendum extra casum peccati mortalis, & notoriæ irregularitatis.

11. Prouidendum, vt diligenter & deuote in diuinis officiis preces effundantur, quæ aliquando ita præcipitate à celebrantibus proferuntur, vt nec ipsi se intelligant, nec ab aliis intelligantur.

12. Breuiaria & missalia purganda, resecandaque omnia, quæ non ex diuinis sint desumpta literis, & tædiosam prolixitatem psalmorum & orationum, habito delectu contrahendam.

13. Fortasse permittendum, vt liceat alicubi latinis canticis preces lingua vernacula fideliter versas intermittere.

14. Cogitandum, qua ratione clerus ad vitam priorem reducatur.

15. Quo pacto monasticus ordo ad primitiuam institutionem redintegretur, ne tantæ monasteriorum diuitiæ tam flagitiose dissipentur.

Et hæc de morum abususque reformatione.

16. Quod autem ad dogmata attinet, considerandum sacro concilio, annon res ipsa efflagitet aliqua iuris positiui relaxare, & circa communicationem sub vtraque specie consuli desiderio exterarum nationum.

17. De esu carnium & ieiuniis aliquid de pristino rigore remittendum, super quo tamen prudenter considerandum.

18. Coniugium clericorum aliquibus nationibus concedendum.

19. Et

19. Et ita conciliatis populorum animis, tollendas deinde multiplices Euangeliorum postillas, & nouam per peritos Theologos faciendam, & similiter nouam Agendam, quam, si qui parochorum noluerint recipere, tunc pœnas graues eis iniungendas.

20. Verum quia hoc modo mali parochi citius poterunt expelli, quam substitui meliores, ideo quædam ad hanc difficultatem amouendam necessario recensentur.

PRIMO.

1. Vnum Catholicum parochum præficiendum interim pluribus Ecclesiis.

2. Videndum diligenter an aliqui ex iis sectariis possint ad catholicam fidem reduci, & ideo eos, qui sanioris mentis videbuntur in proximam Catholicam Academiam mittendos & breuiter erudiendos.

3. Iniungendum episcopis Academiam nõ habentibus, vt in Academia vicina eligant Collegium pro adolescentibus Theologiæ studiosis alendis & instituendis.

4. Limitatum auctorum catalogum edendum, qui legi debeant in scholis: nec alios admittendos.

5. Plures episcopatus in latioribus prouinciis erigendos, & opulenta cœnobia in hunc vsum conuerti posse.

6. Quod autem spectat ad bona ecclesiastica in vsus profanos conuersa & distracta, præstaret forte hoc tempore, vt hæ dissimulentur iniuriæ.

7. Vltimo Romanos patres Concilio præsidentes dare operam debere, ne quæstiones, quæ offendiculas parere possint contentiones, vt hæc, an sit residentia de iure diuino nec ne, aut similes, proponantur, aut si id vitari possit, non patiantur saltem effundi in bilem, nec offerri in fabulam aduersariorum.

SCRIPTVM D. S. CÆS. MAIESTATIS *Oratorum D. S. Concilii Legatis XXVII. die mensis Iunii exhibitum.*

ILlustrissimi & Reuerendissimi Domini Legati ac Reuerendissimi Patres, Dom. Oratores S. Cæs. Maiestatis Domini nostri Clementissimi officii sui ratione, ac singulari quodam S. R. auctoritatis & potestatis propagandæ studio adducti, faciendum sibi existimauerunt, vt D. vestras Reuerendissimas nonnullis de rebus admonerent, antequam ad dicendas sententias veniretur. Quæ quidem res, eiusmodi plane sunt, vt iis velut fundamentis quibusdam tota præsentis consultationis vestræ summa niti videatur.

Ac primum quidem, vt inde initium sumatur, auditi sunt per hosce dies omniū ordinum Theologi de propositis per Illustrissimos D. Legatos articulis. Præclare illi quidem & copiose, sed ad regnorum & prouinciarum exterarum statum ac rationem, non satis accommodate disserentes.

Neq; vero mirum id videri debet: Etenim ita illi felici sidere sunt nati, & iis Max. à Deo regionibus collocati, in quibus integra adhuc sunt omnia, vt suis tantum bonis, sua illi felicitate contenti, de alienis malis, deque iis miseriis, quibus exteræ nationes conflictantur, non magnopere soliciti esse videantur. Precandus est Deus omnipotens, vt hanc illis felicitatem diuturnam esse velit. Vtinam vero eo loco res nostræ essent, vt nos quoque ad istam tranquillitatem aspirare possemus. Sed vt res ire cæpit, nisi nos Deus misericordiæ suæ oculis aspexerit, & S. sanctum œcumenicum Concilium pro sua benignitate nostris rationibus consuluerit, magnopere verendum est, ne his etiam, quæ nunc quidem pessima esse videntur, non ita multo post longe etiam deteriora, in Ecclesia Dei suboriantur.

Quapropter D. V. Reuerendissimas iidem Dom. Oratores vehementer rogatas volunt, vt hæc paucula, quæ nunc perlegentur, attente audiant, diligenter considerent, ac suis ponderibus examinent, atque adeo omnem curationem suam non tantum

ad ſanas & incolumes reipublicæ Chriſtianæ partes accommodent, quæ nullo remedio egent, ſed morboſa & male affecta Eccleſiæ membra ob oculos proponant, inque illis ad priſtinam ſanitatem reuocandis, omnes curas, omnes ſuas cogitationes defixas habeant.

Id autem longe commodius fiet, ſi prius, quæ ſint illæ partes, quæ veſtram opem auxiliumque implorant, ac quomodo affectæ ſint, quam optime intelligatis. Primum igitur de Boëmiæ regno, poſt de aliis dicendum eſt, idque quam fieri poterit breuiſsime.

Nihil opus fuerit hoc loco rem altius iam inde à Conſtantienſis Concilii exordio repetere: Neminem enim hic eſſe arbitrantur, qui illorum temporum hiſtoriam plane cognitam non habeat. Illud dicendum eſt tamen, ab eo vsque tempore eam in Boemia retentam eſſe conſuetudinem, quam nulla conſilia, nullæ rationes, nulla vnquam vis, neq; ipſa arma & bella eripere potuerunt, vt populo etiam Calix in communione à Sacerdotibus præberetur. A quo quidem calice, ea populi pars, quæ huius partis eſſet, Calixtinorum, ſiue Sub vtraq; nomen accepit.

Atq; hæc quidem factio latiſsimè in eo regno patet, & primarios etiam viros & magiſtratus quosdam complectitur.

Antea quidem huic parti benigſsima mater Eccleſia, pro ea poteſtate, quam á Deo habet, pro rerum ac temporum ratione leges & conſtituendi & abrogandi, certis quibusdam conditionibus permiſerat, vt calice vti poſſent.

Poſtea cum vt fieri adſolet, non ſatis religioſe neque vero diligenter conditiones & pacta illa ſeruarentur, prouiſio illa cæpta eſt à Pio II. Pontif. Max. reuocari. Sed cum ſedes Apoſtolica aberrantem hanc ouem ad ceteras aggregare cuperet, primum Paulus III. deinde etiam Iulius III. felicium recordationum ſummi Pontifices, nunciis quibusdam ſuis negotium dederunt, vt Boemis in Eccleſiæ gremium receptis, calicis vſum permitterent.

Tum etiam inchoata, ſed propter graues quasdam difficultates impedita res, perfici non potuit.

Ad extremum Cæſarea Mai. & D. noſter Clementiſsimus hoc

tem.

tempore post centum & quadraginta fere annos, pro singulari sua pietate ac Christianæ & Catholicæ religionis nostræ conseruandæ & propagandæ studio, cum vnicum in illo regno Archiepiscopatum Prag. veluti à mortuis excitauerit, & magnis curis, laboribus, sumptibus & impensis fundauerit, ac constituerit, visum est S. eius Maiestati Cæs. si vnquam antea, nunc commodissimam iniri posse rationem, vt incluta illa natio tota ad S. R. E. matris nostræ obedientiam suam tandem veluti postlimio reuerteretur, præsertim vero cum isti Calixtini, qui Sub vtraq; vocantur, in proximis comitiis Boemicis publice S. Cæs. Maiestati supplicauerint, dignaretur suas apud S. D. N. partes interponere, vt eorum sacerdotes, non ab alio quoquā, sed à nouo Archiepiscopo ordinarentur. promiserant autem, hoc si impetrent, daturos se operam, vt ipsi eorum presbyteri D. Archiepiscopum pro suo legitimo prælato agnoscant, & obedientiam illi præstent.

Itaque per Reuerendissimum D. Episcopum Pharensem, qui nunc apud S. eius Maiestatem S. D. N. nuncium agit, ac per Magistrum D. Prosperum comitem ab Arco S. eius Maiestatis Romæ oratorem à S. D. N. postulauit, ne tantam tamque optatam Ecclesiæ restituendi ac conseruandi illius regni occasionem, de manibus sibi elabi pateretur.

S. autem D. N. totam hanc rem ad vestram, Illustrissimi D. Legati & Patres amplissimi, disceptationem, & vestrum iudicium reiiciendum putauit.

Vestræ igitur pietatis fuerit, nobile illud regnum Ecclesiæ Catholicæ conseruare. Quod tum demum fiet, si necessariis de causis Calicis vsum illis permittendum esse putaueritis.

In reliquis illi rebus, aut omnibus S.R.E. matris nostræ institutis consentiunt: aut in paucis quibusdam à recta illi via deflexerunt.

Sacerdotibus illi non aliis vti vnquam voluerunt, quam qui cœlibem vitā agerent, & quos à Catholico & cōmunionem sedis apostolicæ habente Episcopo legitime ordinatos esse constaret.

Solent illi inter alias suas preces, etiam summi Pontif. S. Card. collegii, Episcoporum atq; vniuersi Ecclesiastici status & ordinis meminisse, ac Deum pro eorum incolumitate, & felici rerū successu,

ceſſu, in publicis ſupplicationibus, & litaniis exorare, populumq; ad id faciendum in concionibus frequenter cohortari.

Quod ipſum ſatis indicat, quomodo erga ſedem apoſtolicam affecti ſint.

Si quid autem eſt omnino in reliquis rebus, in quibus à recta S. R. E. doctrina diſceſſum eſt, id nullo prope negocio emendari ac corrigi poterit, modo calicem, quem tantopere expetunt, veſtra benignitate conſequantur.

Neque vero mirum eſt, ſi rudis & imperita multitudo in eum errorem induci potuit, vt ſine magno conſcientiæ ſcrupulo, à calice ſe abſtinere non poſſe perſuaſum habeat, cum etiam peritiſſimos & maxime pios ac Catholicos viros eam ſententiam multis rationibus tueri videamus, vt ſub vtraq; quam cum ſub alterutra tantum ſpecie communicantes maiorem ſe conſequi gratiam arbitrentur: Veſtra iſti miſericordia digni ſunt, patres ſanctiſſimi.

Quare diligenter prouidete, ne per nimiam veſtram ſeueritatem in eam deſperationem adducantur, vt cum nullum apud vos miſericordiæ ſibi locum relictum eſſe ſentiant, ad impios ſectarios tranſeant, à quibus quidem, magna diligentia, omnibus artibus, omnib. illecebris, perpetuo ad defectionem ſollicitãtur.

Sunt & in aliis etiam clariſſimis & nobiliſſimis regnis ac prouinciis, pii quidam ac Catholici viri, vt in Vngaria, in Auſtria, in Morauia, in Sileſia, in Carinthia, in Carniola, in Styria, in Bauaria, permultis Germaniæ partibus, qui magno quodam zelo calicem ſibi dari expetunt.

Non fuit hoc ignotum Paulo III. fel. record. Pont. Max. qui omnibus per Germaniam Epiſcopis conceſſit, ſub vtraque ſpecie communicandi, iis, qui deuotionis cauſa ſub vtraq; mallent quam ſub vna communicare.

Sed ne hæc quidem propter grauiſſima quædam impedimenta ad effectum perduci potuerunt.

Eadem fere eſt ratio, idem de aliis quoq; nationibus, quas paulo ante nominauimus, periculum eſt, ne ſi calix eis adimatur, ad Lutheranos atq; alios ſectarios transfugiant.

Neque vero exiſtimare debet quiſquam, quod hiſce dieb. publice à Theologis dubitatum eſt, eos, qui calicem petunt, prorſus

hæreticos esse. Quis ignorat, nullam nobis cum hæreticis communionem esse debere? non hæc hæreticis, sed iis procurantur, qui aliis in rebus & Catholici sunt, & obedientes se S. R. E. filios præbent.

Quod si hoc ipsi à vestra benignitate consequantur, magna spes est, plurimos etiam hæreticos, qui hanc vnam ob rem á nobis desciuerunt, ad nos iterum reuersuros esse.

Audiuntur à nobis non pauci passim in mediis sectariorum gregibus versantes, qui palam profitentur, si sub vtraque specie Eucharistiã sumere liceat, cupidissime sese ad nos transire velle.

Certe præterquam quod æquiores deinceps se nobis præberent hæretici, dictis etiam nostris facilius ac libentius aures accommodarent, & libentius in vestram se disciplinam traderent: sic etiam confideremus fore, vt S. sanctum Missæ sacrificium longe in maiori veneratioue esse inciperet.

Plurimos iam tot nouitatum tædet, qui hoc vno remoto impedimento libentissimis animis ad nos se reciperent: Quod si quo casu hæc illis vtriusque speciei communicatio non permittatur, contraria omnia sunt pertimescenda.

Iam si quis est, qui quærendum existimet, quod etiam hisce diebus auditum est, quis ille tandem sit, qui hæc petat: En S. Cæsarea Maiestas à S. D. N. petit, vt D. Archiepiscopo Pragensi Calixtinos Sacerdotes ordinare liceat. Id autem fieri nullo modo potest, nisi illi primum in Ecclesiæ gremium recipientur. Recipi autem non poterunt, si ritu schismatico, propria auctoritate, calicis sibi vsum vsurpent; ac mordicus retineant.

Adsunt etiam Canadien. & Tuiniensis ex Vngaria D. Archiepiscopi, & episcorum Vngariæ nuncii, qui humiliter supplicant, vt aliqua ratione illius regni Ecclesiis ab hoc sacrosancto œcumenico Concilio prouideatur: Non enim vlla ratione plebs, atque adeo iam ipsa etiam nobilitas in officio contineri potest.

Ac nisi hæc illis spes in hunc vsque diem facta fuisset, futurum vt in hoc sacrosancto œcumenico concilio calicis vsus à vestra bonitate & charitate, amplissimi patres, ipsis impetraretur, exiguas iam Catholicæ religionis ac in S. R. E. & sedem apostolicam obedientiæ illis in partibus reliquias haberemus.

De

De Vngaria quidem hoc certe affirmare possumus, eo iam ventum esse, vt Sacerdotes per vim ad Calicis porrectionem adigantur. Quod ni faciant, bonis Ecclesiasticis direptis magnum infortunium atque adeo vitæ periculum euitent.

Fuerunt ex illius regni Episcopis nonnulli pii viri, atque Ecclesiasticæ consuetudinis obseruantissimi, inprimis autem Reuerendus D. Strigoniensis Archiepiscopus, qui hos tales Sacerdotes exilio atque aliis pœnis ob hanc causam multauerit. Factum iam est, vt tum illis tum aliis etiam Catholicis Presbyteris careant.

Ita fit, (quod vix sine lacrymis dici potest) vt infantes sine Baptismo & intereant, & adolescant: viri ac fœminæ omnium ordinum, omnis ætatis, belluarum more in summa DEI ignoantione, & viuere & mori cogantur. Ita nihil propius est, quam vt ad paganismum redeatur.

Sunt enim loca non pauca, in quibus á multis iam annis, nullus Sacerdos est visus, qui rudem & imperitam plebem ad Christianæ pietatis normam instituere atque erudire queat. Hoc quoque ad summas ac innumerabiles illius regni miserias accedit.

Cuius vos Patres Amplissimi miserescite & qua ratione hos tantos totque populos in sanctæ R. Ecclesiæ fide conseruare, & alios quamplurimos hac de causa á nobis profugos, ad nos iterum retrahere possitis, aliquam iam tandem cogitationem suscipite.

Hæc sunt, quæ dicenda videbantur, quæ vt Dominationes vestræ Reuerendissimæ in optimam partem interpretentur, & totum hoc negotium diligenter perpendere velint, iidem Oratores etiam atque etiam vehementer rogant.

Quæ tamen omnia sanctissimo & prudentissimo iudicio vestro subiecta esse volunt.

BEATISSIMO IN CHRISTO PATRI *& domino Pio, diuina prouidentia sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis Ecclesiæ, summo Pontifici, Domino Reuerendissimo.*

BEATISSIME in Christo Pater, & Domine reuerendissime, post humilem commendationem filialis obseruantiæ nostræ continuum incrementum. Existimamus superuacaneum esse sanctitati vestræ prolixe contestari, & comprobare summum studii & diligentiæ ardorem, quo hactenus omni loco & tempore procurauimus & promouimus commodum, pacem, quietem, & vnitatem sanctæ matris Ecclesiæ. Siquidem DEVS ipse nobis est testis, & conscientia nostra, quod in hac parte neque curis, neque laboribus vnquam pepercimus, imo etiam sanctitati vestræ hanc nostram voluntatem optime cognitam & perspectam esse non dubitamus. Eo sane pietatis zelo & honesta intentione moti fuimus, cum proxime celebraretur Tridentini sacrum œcumenicum concilium, vt ageremus & laboraremus pro concessione Calicis, non certe temporalis alicuius commodi aucupandi, seu priuati emolumenti, & lucri obtinendi gratia, aut etiam, quod nos in conscientia nostra vel minimum scrupulum haberemus de eo, quod hucusque vel in hoc, vel in aliis quibuscunque articulis sensit & obseruauit sancta mater Ecclesia: sed quia prorsus persuasum habuimus, sicuti etiam nunc habemus, huiusmodi concessionem futuram esse vtilissimam in genere, plurimum momenti allaturam in specie: ad reductionem lapsorum & errantium, nec non ad faciendum iam tandem vtile principium restaurandæ vnitatis & pacis Ecclesiæ tam diu frustra expectatæ & desideratæ. Verum quoniam eo tempore nobis relatum fuerat, non deesse, qui de hac materia & concessione nonnihil dubitarent, & varia impedimenta iniicerent, facile tulimus rem aliquandiu differri, vt possemus interim pro exoneratione conscientiæ nostræ de hoc negotio

gotio

gotio conferre cum nonnullis præcipuis, atque potissimum sacri Romani Imperii Prælatis ac Principibus: existimantes quod præhabito eorum consilio rectius atque liberius possemus deinde omnibus modis instare & elaborare, vt petitioni nostræ satisfieret. Instituta igitur matura ac diligentissima deliberatione de hoc negotio, vtrum scilicet expediat hanc concessionem vlterius requirere & vrgere, nec ne, cum dictis prælatis atque principibus Ecclesiasticis, nec non illustrissimo Alberto Palatino Rheni, & vtriusque Bauariæ duce, filio, principe & consanguineo nostro carissimo, & dato eis cogitandi spatio, quo & ipsi possent rem cum suis Theologis & Doctoribus pietate & eruditione præstantibus conferre, prout contulisse non ambigimus, iidem prælati & principes Ecclesiastici, cum intellexissent, nos ad huiusmodi petitionem tam necessariam, tum regnis & dominiis nostris, tum vniuersæ nationi Germanicæ inclinatos esse, & statuisse sanctitatem vestram hoc nomine reuerenter interpellare, magnopere collaudato proposito nostro promiserunt, quod & ipsi in hac parte non essent defuturi officio suo, sed obsequenter exequuturi, quicquid sanctitas vestra ad filialem & officiosissimam requisitionem nostram dignata fuerit indulgere, concedere atque statuere, & tractare prima opportunitate oblata, hac ipsa de re cum suis prouincialibus, coëpiscopis ac suffraganeis: Posteaquam ergo cognouimus prælatos & principes Ecclesiasticos á nobis in hac parte non dissentire, & in dies magis ac magis experti sumus, quod summa rei necessitas vlteriorem moram nõ patiatur, ac insuper in memoriam reuocamus ea, quæ Reuerendissimus in Christo præses Dominus Ioannes sanctæ Romanæ ecclesiæ episcopus Prænestinus Cardinalis Moronus, & Carolus eiusdẽ sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli sancti Apollinaris presbyter Cardinalis de Lotharingia princeps, & amici nostri carissimi, nomine sanctitatis vestræ nobis per episcopum Quinque-Ecclesiarum, tunc Canadiensem (Andr. Duditium) paucis mẽsibus ante finem concilii nunciauere, & quæ Reuerendus Episcopus Pharensis nuncius Apostolicus in eandem sententiam affirmauit, diutius haud cunctandum, sed primo quoque tempore sanctitatis vestræ benignitatem ac pietatem hisce officiosis

literis nostris implorandam esse duximus, rati non opus fore, quod sanctitati vestræ molestiam exhibeamus anxia & prolixa enumeratione multarum grauissimarum causarum, vtcumque eas in promptu habeamus, propter quas sanctitas vestra merito possit pro æterna multarum animarum salute, humili & filiali petitioni nostræ paterne annuere: sed arbitrati sumus sufficere, & gratius quoque futurum sanctitati vestræ, alioquin maximis & plurimis negotiis occupatæ, si sanctitati vestræ desiderium nouum simpliciter, & quam fieri posset breuissime, proponeremus. Itaq; nos sanctitatem vestram, nostro & præfati illius generi nostri Ducis Bauariæ nomine, impensissime rogamus & obsecramus, vt pro ea auctoritate, quam à Deo optimo maximo obtinet, dignetur clementer opitulari tot Germanicæ nationis ac regnorum & prouinciarum nostrarum populis, quibus viri Catholici & prudentes iudicant, Deo propitio, hac concessione calicis optime cõsultum iri. Quemadmodũ nobis plane persuasimus sanctitatem vestram pro summa sua pietate, & iuuandæ instaurandæque collapsæ Religionis nostræ Catholicæ ardentissimo studio lubenter facturam esse, neque permissuram, vt frustra à sanctitate vestra auxilium petiisse videamur, in re tam necessaria, & ad salutem Christiani populi pertinente, quæ in concilio tam diligenter ventilata & discussa fuit, præsertim cum iam omnibus constet, & manifesta sit ingens vtilitas, quæ ex huiusmodi concessione expectanda est. Præterea habita vlteriore diligentissima deliberatione, cum viris Catholica pietate & doctrina claris, & rerum Germanicarum peritissimis, ex illorum sententia sanctitatem vestram hac quoque de re certiorem reddendam esse censuimus, quod sanctitati vestræ maximum quoque momentum adfert, tam ad conseruandas in Germania ac regnis & dominiis nostris saltem exiguas hasce Religionis Catholicæ reliquias, quã ad cohibendas, & extirpandas hæreses, & earum auctores, ebuccinatores & propugnatores, si non solum modum & rationem aliquam inuenerit, qua sacerdotes, qui assertis suis coniugiis seipsos ab Ecclesia separarunt, Ecclesiæ possint reconciliari, retẽtis vtcumque in contubernio suo assertis illis vxoribus: verum etiam benigne indulserit, quod in iis locis, vbi presbyteri in eo nume-

numero, qui ſufficiat, haberi nequeunt, ab Epiſcopis ordinariis viri laici iuſtæ ætatis, & doctrinæ ac vitæ probatæ & bonæ famæ ad miniſterium altaris, & alia ſacerdotum munera admittantur.

Quocirca prætermittere non potuimus neque debuimus in tanta rerum difficultate, quin etiam hoc nomine ſanctitatem veſtram omni quo poſſumus ſtudio pro nobis ipſis, & pro antedicto Illuſtriſſimo & chariſſimo genero noſtro rogaremus & obteſtaremur, vt poſtpoſita omni dilatione in hoc quoque articulo ſalutare remedium adhibeat. Et cum ſanctitas veſtra non ignoret iudicio & ſententia tot piiſſimorum hominum tali curatione Eccleſiam Catholicam, diuino fauente numine, plurimũ iuuari, & multa animarum millia ſaluari poſſe, nequaquam intermittat etiam ſanctitas veſtra in hac parte Apoſtolicam ſuam auctoritatem exercere: hoc ipſum enim tempus eſt (quod cum debita filiali reuerentia dictum volumus) quo ſanctitas veſtra id præſtare, perficere & aſſequi poterit, vt nomen eius in perpetuum celebretur, atque laudetur, ac vere de ſanctitate veſtra dicatur: *Quid potuit facere, & non fecit, vere Pius pontifex, quo nutantes firmaret, lapſos erigeret, & errantes in gremium Eccleſiæ reduceret?* Profecto ſanctitas veſtra in eo factura eſt rẽ vocatione & pietate ſua digniſſimam: quam proculdubio nos ipſi & omnes pii & Chriſti fideles in vniuerſo & Chriſtiano orbe noſtris ad Deum Optimum Maximum orationibus pro incolumitate & felicitate iugiter fundendis promereri ſtudebimus. Cui quod reliquum eſt filialis noſtræ obſeruantiæ officia reuerenter offerimus ac commendamus. Datum in ciuitate noſtra Vienna die decima quarta menſis Februarii anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto, Regnorum noſtrorum Romani trigeſimo quarto, aliorum vero trigeſimo octauo.

[*Quod ſequitur ſcriptum eſt manu propria Imperatoris.*]

Quod nos noſtro & præfati illius, & chariſſimi filii noſtri, Ducis Bauarię nomine à ſanctitate veſtra ſtudio vnitatis & pacis Catholicæ Eccleſiæ promouendæ reuerenter petimus, id ſine negotio & mora conceſſum iri confidimus: quinimo illis potiſſimum de cauſis, quas ſanctitas veſtra ex Romano Cardinale Mo-

rono, & ex oratore nostro intelliget, omnino ita fore pro certis tenemus.

S.V. Humilis & obsequens filius

Ferdinandus.

BEATISSIMO IN CHRISTO PAtri & Domino PIO QVARTO, diuina Prouidentia sacrosanctæ vniuersalis Ecclesiæ summo Pontifici, Domino reuerendissimo.

Beatissime in Christo pater, domine Reuerendissime: post officiosissimam commendationem filialis obseruantiæ continuum incrementum. Licet plane persuasum habeamus, sanctitatem vestram post reditum nuncii sui Reuerendi Episcopi Vnitimilliensis, absque vlteriore dilatione, eum quem optamus finem impositurram esse negotio presbyterorum coniugatorum responsionis ea in re pro præsentis temporis statu ineundæ, de quo iamdudum cum sanctitate vestra serenissimus & potentissimus quondam Princeps Dominus Ferdinandus electus Romanorum Imperator præclarissimæ memoriæ dominus ac genitor noster obseruandissimus tractare cœpit, & nos quoque post obitum Maiestatis suæ accurate egimus: quia tamen res eius est momenti, vt omnem moram excludat propter multas & grauissimas causas, quas sanctitas vestra iam antea sæpius intellexit, & nunc rursus tam à præfato Episcopo Vnitimilliense, cum quo satis copiose hac de re loquuti fuimus, quam oratore nostro magnifico, fideli nobis dilecto, Prospero comite ab Archo intelligere poterit, non dubitauimus sanctitatem vestram de eiusmodi negotio per præsentes literas nostras atque etiam per iam dictum oratorem nostrum denuo officiose interpellare. Itaque sanctitatem vestram summo studio rogamus, vt huiusmodi filialem interpellationem ac petitionem nostram ex inte

integerrimo animo ac propenſiſsimo ad promouendam Eccleſiæ Catholicæ vnitatem & quietem ſtudio ac zelo profectam, non modo in meliorem partem accipiat, verum etiam abſque vlteriore cunctatione paterne atque beneuole admittat: quo iam tandem maximus iſte miniſtrorum Eccleſiæ ac ſacerdotum defectus, & inopia, qua hoc turbulento ſeculo, Germania & præcipue Regna & dominia noſtra & ſereniſſimorum & clariſſimorum fratrum noſtrorum laborant, ſarciri queat: qui niſi hoc modo ſarciatur, ita videlicet, vt populus Chriſtianus habeat pios atque idoneos concionatores, parochos & Eccleſiæ miniſtros, à quibus ſacra doctrina imbuatur, & ſacramenta rite adminiſtrata percipiat, nullam ſane videmus viam aut rationem, qua diutius in obedientia Catholicæ Eccleſiæ, à qua hanc potiſſimum ob cauſam in dies magis deficit, retineri, nedum ad eam reduci queat: cum nec conceſſio calicis eum fructum afferre poſſit, quem optamus, niſi clero perinde ac laicis conſultum & proſpectum ſit. Et quo diutius res differetur, eo periculoſior futura eſt tempeſtas, ac timendum, ne breui eò deueniamus, vt ne hoc quidem remedium tam ſero adhibitum huic lethali Eccleſiæ vulneri ſanando ſufficiat, ſed creſcentibus indies magis diſſenſionibus, (quod Deus auertat) ad poſtremum Religio Catholica in his regnis & prouinciis prorſus extinguatur. E diuerſo, ſi clero hac conceſſione ſubueniatur, ſicuti ſanctitas veſtra dignata eſt laicis conceſſione ſacri calicis ſubuenire, ſperandũ eſt omnia futura tranquilliora, & ad recuperandam Eccleſiæ vnitatem faciliora: poterunt enim Epiſcopi tunc iuriſdictionem ſuam in vxoratos etiam presbyteros exercere, & indignos amouere & punire, quos cum in hac rerum confuſione propter coniugium nihil prorſus curauerint, euenit, quod, ſicuti nobis demonſtratũ eſt, omne genus hominum in hæc regna & prouincias noſtras clandeſtine irrepſerit, inter quos non deſunt, quos nec Auguſtanæ confeſſionis Principes & ſtatus in ditionibus ſuis tolerare potuerunt, ſed eos eiiciendos atque exterminandos cenſuerunt. Quæ omnia, vt ſanctitas veſtra pro ſua exima pietate, benigne ac paterne conſiderare, et lapſis Eccleſiæ rebus, hac quam oſtendimus via, in tempore occurrere, ac nobis abſque longiore mora

certum & optatum responsum dare velit, eandem sanctitatem vestram iterum atque iterum impensissime rogamus & obtestamur, quæ in eo factura est rem officio suo pastorali plane conuenientem, atq; his regnis & prouinciis nostris ac clarissimorum fratrum nostrorum omnino necessariam, qua sanctitas vestra haud dubie apud omnes bonos immortalem sibi laudem & beneuolentiam comparabit, atq; nos ita sibi deuinciet, vt nullam vnquam occasionem prætermissuri simus sanctitati vestræ vicissim animi nostri gratitudinem filialis obseruantiæ studiis declarandi & contestandi. Quam Deus omnipotens pro beneficio & commodo Ecclesiæ suæ quam diutissime saluam & incolumem seruare dignetur.

Datum in ciuitate nostra Vienna die vigesima octaua mensis Nouembris, anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, regnorum nostrorum, Romani tertio, Hungariæ secundo, Bohemiæ vero decimo sexto.

S. V. obsequens filius

Maximilianus.

BEATISSIMO IN CHRISTO PATRI,

Domino Pio Quarto sanctæ Romanæ & vniuersalis Ecclesiæ summo Pontifici, Domino meo colendissimo.

Beatissime in Christo pater ac domine, domine colendissime. Tametsi iam antea sacra Cæsarea Maiestas, dominus & genitor meus colendissimus, & nuper etiam Imperator Maximilianus dominus itidem & frater meus obseruandissimus, tum per sanctitatis vestræ nuncium, tum per Comitem Prosperum ab Archo satis abunde & prolixe demonstrauit, quæ in statu prouinciæ ac dominio, quæ nobis hereditario iure obtigerunt, hoc tempore circa religionem constituta sint, non potui

tamen

tamen prætermittere, quin & ipſe ſanctitati veſtræ illa eadem affirmarem, nullam nos aliam extirpandarum hæreſium, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ & iuriſdictionis reſtaurandæ commodiorem rationem inuenire, quam ſi in eam inprimis rem omni conatu incumbatur, vt pia ac legitima aliqua forma cõiugatos ſacerdotes conciliandi introducatur: deinde etiam canonica ratio ineatur, vt boni, docti, & probatæ vitę homines laici, etiam ſi vxores habeant, in tanta Eccleſiaſticorum penuria, ad miniſterium Eccleſiaſticum aſſumantur, quod de iis tantum locis intelligo, in quibus & ordinandorum, & ordinatorum cœlibum ſacerdotum ſumma reuera atq; incredibilis eſt inopia.

Quæ quidem remedia ſi non adhibeantur, veſtra ſanctitas ſibi perſuaſum habeat, ex omnibus iis, qui in meis dominiis, & ætate & pietate, & rerum vſu ceteris præſtant, nullum eſſe, qui aliam vllam humanam actionem reperiri exiſtimet, qua labenti & potius pene collapſæ iam religioni Catholicæ ſubueniri poſſit. Ac ſane ſi id quæritur, vt miniſtros habeamus, per quos boni conſeruentur, mali autem doceantur & reducantur, ſacramentaque piis fidelibus adminiſtrentur, hæc vix alio pacto conſequi poterunt, quam conciliandis ſacerdotibus coniugatis, qui in reliquis Catholici ſunt, pariter etiam honeſtis ac doctis laicis aſſumendis, idque iis in locis, vt antea dictum eſt, in quibus nulla ordinariorum effici diligentia potuit, vt cœlibes ſacerdotes habeantur: ex quo nimirum factum eſt, vt cum multis iam annis populi legitimo miniſterio caruerint, hæreticis concionatoribus, & malis doctoribus aditus ad præcipitanda multa animarum millia fuerit patefactus, qui & ipſe in tanto miniſtrorum defectu, nec commode remoueri, nec iuriſdictio Eccleſiaſtica redintegrari poteſt, niſi meliores prius ſubſtituantur.

Nouit DEVS, Beatiſſime pater, nullam mihi rem æque cordi eſſe, quam Religionis noſtræ Catholicæ in prouinciis & dominiis meis reſtaurationem. Quare certo ſibi perſuaſum habeat, omnia me tentaturum, quæ huc pertinere videbuntur. Sed illud viciſſim facile affirmare poſſum, ſi ſanctitatis veſtræ iis in rebus, quæ incommode, pie certe concedi poſſunt, auxilio deſtituti fuerimus, vereri me vehementer, ne

totus

totus hic noster conatus in irritum cadat: singularis tamen illa vestræ sanctitatis sapientia, pari iuncta pietate, quam piæ memoriæ Dominus parens meus semper in ore habebat, in spem me erigit, fore, vt sanctitas vestra, pium hoc institutum sit adiutura, in quod toto quidem pectore etiam magis erit incumbendum, ne, si hæc loca ita hæresibus occupentur, istius mali contagio ad finitimas quoque partes peruadat.

Ne illud quidem prætermittendum est, hæc eius generis esse mala, vt in tempore & quidem ocissime remedia adhiberi necesse sit: nam eiusmodi in dies, & in horas fit iactura, vt tam præsentes longe melius quam absentes & videre & sentire possint, & maiorem nobis præsentibus forte quam absentibus dolorem afferant. Sane huius piæ concessionis procrastinatio eum habet exitum, vt semper difficilior curatio redarguatur. Nec dubitet sanctitas vestra vlla alia re magis hæreticos & aduersarios nostros exhilarari, quam si videant hæc nobis à sanctitate vestra remedia aut prorsus denegari, aut quod proximum est, in longius tempus protrahi.

Postea vero quam pia sacri calicis concessio facta est, si hæc illi æque pia prouisio adiungatur, futurum proculdubio confidimus, vt altera alterius ope adiuta, amissam illam Catholicæ Ecclesiæ iam diu á bonis optatam pacem & tranquillitatem, Dei auxilio, restituat. Deus Optimus Max. vestram sanctitatem diu felicem atque incolumem tueatur, Cui ego me humiliter, & obsequenter commendo.

Datum Viennæ vltima die mensis Nouembris anno M.D.LXIIII.

S.V. Humillimus & obedientissimus filius

Carolus.

BEA-

BEATISSIMO IN CHRISTO PAtri & Domino, Domino Pio IV diuina prouidentia sacrosanctæ Romanæ, ac Vniuersalis Catholicæ Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino meo clementissimo.

BEatissime in Christo Pater ac Domine, Domine Clementissime, humilitatem, obedientiam, ac pedum beatissimorum oscula deuotissima.

Intellexit sanctitas vestra ex iis, quos ob sacri calicis concessionem secundario ad eam ablegaui, consiliariis atque legatis meis, quæ sit Religionis Catholicæ apud plerasque Germaniæ nationes miserabilis facies, & quæ vna restet sanandæ restituendæque Ecclesiæ ratio. Quapropter parcendum potius S. V. puto, quam in repetendis iis omnibus hærendum esse diutius, præsertim cum satis mihi constet, quam pie, quam paterne & serio tota incumbat S. V. in eam curam, vt suum recipiat Catholica Ecclesia nitorem, idque vnum iam oro obtestorque S. V. humillimo studio, vt ea, quæ in Religionis negotio Legati & oratores mei proposuerunt, ad animum reuocare dignetur. Vera enim profecto sunt & omnino talia, quæ ad obtinendum à S. V. fauorabilem concessionem in primis facere posse videantur. Erat quidem maxima mihi spes Sanctitatem vestram non admissuram, vt desideretur diutius paternæ suæ consolationis & medicationis auxilium ea in re, quæ tot animarum extremum periculum adiunctum habet: Verum quia tunc temporis ob grauissimas quasdam causas differri placuit paternam eiusmodi concessionem, potius quam exhiberi promptam: ferenda fuit, qua decuit modestia & humilitate, ista mora. Iam vero quandoquidem non modo non cessat illud, quod exposuerunt Legati mei, Ecclesiæ malum, sed latius in dies serpit & plures quotidie, ex simplicioribus præsertim & incultioribus, in præsens animarum discrimen adducentur: maxima & vrgentissima mihi est occasio ad S. V. pro ope ferenda recurrendi. Vtque intelligat S. V. quan-

tum & sacra Cæsarea Maiestas & ego enitamur, quosue moueamus lapides, quo melius consultũ esse queat religioni: cõtulimus ea de re cum Reuerendissimis illustrissimisque sacri Romani Imperii Archicancellariis & Electoribus spiritualibus, quorum cõmunis est nobiscum sententia, vt à S. V. tanquam supremo rerum Christianarum Monarcha desideratissimam tam ad firmandos retinendosque saniores, quam reducendos lapsos opem iterum exoremus. Ac de ipsorum quidẽ Electorũ voluntate haud obscure constat, eos, si quid indulserit miseræ Germaniæ S. V. libenter amplexuros & executores fore. Quamobrem vna cum sacra Cæsarea Maiestate S. V. humiliter & studiosissime oro, vt sacri calicis vsum iis saltem liberum concedat, qui ita persuasi aliã saniorẽ admonitionem hoc quidem tempore non admittũt. Eoque nomine per breue Apostolicum Metropolitano Salisburgensi facultatem det cum presbyteris Catholicis dispensandi, vt tam ardẽter petentibus, non tamen nisi contritis & confessis, ac cetera omnino Catholicis sacramẽtum Eucharistiæ sub vtraq; specie secura conscientia porrigere audeant: quæ quidem S. V. necessaria concessio, nõ modo simplicibus illis hominibus, sectariorũ astutis machinationibus circũuentis satisfaciet, sed innumeris quoque aliis, qui sacramẽti huius perceptionẽ extra prouincias meas apud sectarios quærunt, eaque occasione horrendis implicantur erroribus, existet saluberrima. Poterunt enim deinceps tam parochi, quam mei officiarii & seruitores peritiorẽ habere fidei pietatisque subditorum rationem, si ad alios recurrere amplius nõ sit necesse. Ast vero longissime absit, vt generalem expetam subditis meis sacri calicis vsurpationem, aut iis obtrudi cupiam, qui vna sacramenti specie humiliter ac deuote mecũ sint contenti. Nam quemadmodum Deo auxiliante veram Catholicam Religionẽ, Ecclesiæ quoque Romanæ placita atque statuta nunquam mihi eripi patiar; ita hanc ipsam S. V. indulgentiã non mihi ipsi, neque subditis meis pure Catholicis efflagito, sed in illorum saltem cõsolationem & salutem, qui nisi hac ratione iuuentur, in certum animarum discrimen præcipites ruunt. Quorum quidem, quia Christi sanguine redempti sunt, Christi vicarius, vt misereatur, non inconueniens videtur. Deinde simili humilitate & obseruã-

tia ro-

tia rogo, vt commodam aliquam rationem excogitet S.V. qua raritas iſta vtilioris Catholici cleri in locis populoſis, vbi maxime opus videatur, auctior reddi queat: idque ſi quod factu difficillimum apparet, fieri difficulter poteſt, ad tempus ſaltem per S.V. liceat Catholicis Epiſcopis maritatos ſacerdotes, retentis ſuis prætenſis vxoribus, Eccleſiæ reconciliare aut honeſtos & doctos maritos, qui tam voce, quam exemplo continentioris coniugalis vitæ plurimum ædificarent, ad ſacra altaris prædicandique munera admittere: quo quidē in negocio, non minus quam ſuperiori, paternam ſuam erga Rempublicam Chriſtianam pietatem & beneuolentiam ita explicabit S. V. vt & reſtitui aliquando poſſint, qui iam nutantes dubiique hærent, & iſtæ, quæ adhuc ſuperſunt Catholicæ religionis Reliquiæ, conſeruari.

Quam vtramque ad rem operam ſtudiumque meum ſumma offero promptitudine & alacritate. Deus optimus Maximus S. V. cuius paternum reſponſum auidiſſime expecto, diu ſeruet Eccleſiæ ſuæ incolumem.

Datum Monachii nonis Februarii anno M.D.LXIV.

Sanctitatis veſtræ obſequentiſſimus filius

Albertus Dux Bauariæ
Manu propria.

CONSIDERATIONES SVPER MAtrimonio Sacerdotum.

NEgari non poteſt ſacram vtriusque teſtamenti ſcripturam ſacerdotibus vxores permittere.

Conſtat etiam Apoſtolos ipſos (paucis forte exceptis) vxoratos fuiſſe, nec reperiri, quod Chriſtus poſt eorum vocationem eos ſeparari mandarit ab vxoribus, contra legem, quam ipſe dederat de matrimonio non ſeparando inter eos, quos Deus coniunxit.

Liquet denique in primitiua Ecclesia coniugia sacerdotum, tam in Orientali, quam Occidentali Ecclesia, vsque ad tempus prohibitionis per Papam Calixtum factæ, vbique libera & licita fuisse. Proinde nec iura ciuilia Clericorum coniugia prorsus improbant.

E contra tamen nemini dubium est, matrimonium, eiusq; vsum minus conuenire his, qui spiritualibus lectionibus, & orationibus vacare, ac ad sacramenta tractanda & administranda semper parati esse debent, atq; adeo meliorem in clero maximeque optandum esse cœlibatum. Qui enim sine vxore est, solicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum vxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori. quæ res procul dubio Ecclesiam mouit, vt vniuerso clero cœlibatum perpetuamque tandem continentiam indixerit.

Cum autem natura nostra hodie fragilis sit, & inuitatrix vitiorum, nec non omnis ætas ab adolescentia in malum prona, ac denique caro sit stimulus peccati, & arctissima sit via continentiæ, paucique reperiantur, qui carnis stimulum non sentiant & in igne positi non ardeant, sitque talis concupiscentiæ ignis exardescens, vsque ad perditionem deuorans: Hinc est, quod Eusebius de Dionysio Corinthio Episcopo scribit, nempe quod is admonuerit Pymtum Episcopum, ne cœlibatus onus tanquam necessarium fratribus imponeret: sed infirmitatis multorum rationem haberet. sic etiam Paphnutius confessor in Magno Niceno concilio honorabiles confessus nuptias, & castitatem esse dicens concubitum cum propria vxore, suasit concilio, ne talem cœlibatus legem poneret, grauem asserens esse causam, quæ aut ipsis clericis, aut eorum coniugibus occasio fornicationis existeret: quā Paphutii sentētiam Nicena synodus vtiq; laudauit, & nihil ex hac parte sanciuit, sed hoc in vnius cuiusque voluntate, non necessitate, permisit, nisi tempore oblationis, quo sacerdotibus á suarum complexu vxorum abstinendum erat, sed etiam cōstitutionem sextæ synodi Constantinopolitanæ, sicut & in veteri testamento consttutum erat, vt sacerdotes tempore vicis suæ in templo habitarent, nec cum vxoribus suis sub id tempus car-

carnale possent exercere consortium. Quod si Ecclesia vnquam causam habuit permittendi clericis secularibus coniugium, certe infelici hoc nostro carnali seculo, & necessitatem id ipsum exposcere, & vtilitatem suadere videtur.

Constat enim, proh dolor, inter quinquaginta & plures Catholicos etiam sacerdotes vix vnum reperiri, qui castum præstet cœlibatum, sed omnes fere neglectis & reiectis saluberrimis sacrorum conciliorum & canonum veterum & nouorum constitutionibus, notorios esse scortatores, cum maximo animarum suarum discrimine, & laicorum scandalo. Constat enim nedum ipsos sacerdotes mordicus ambire coniugium, sed & laicos propter turpissimam Clericorum vitam hoc ipsum vehementer vrgere. Ita sane, vt plerique Ecclesiarum patroni ob causam hanc nolint beneficia sua nisi vxoratis conferre.

Accedit defectus ministrorum, qui subinde maior apparet, & tantus quidem est, vt paucos admodum habeamus: idque propter solum vetitum matrimonium. Hinc scholæ Theologiæ apud Catholicos vacuæ sunt, & Episcoporum auctoritas in ordinandis ministris prorsus iacet, sed maior pars ad sectariorũ scholas profugit, ibiq; qualiquali manuum impositione vt cumque accepta se passim in Ecclesiis ingerunt, & Religioni Catholicæ incredibiliter nocent, qui tamen permisso coniugio fere omnes in Catholica Ecclesia permanerent, & quæcumque illis præscriberet Ecclesia, prædicarent & docerent, populumque curæ suæ commissum facilius in officio retinerent.

Et quia sacri testantur canones Ecclesiam pro summa, qua fungitur, auctoritate, propter ministrorum defectum, pleraque contra seueritatem canonum sæpe indulsisse & tolerasse, sic enim vxorem & liberos habentem in Episcopum Syracusanum summus Pontifex iam olim confirmauit, sic honestos maritos ad sacros maiores ordines Ecclesia admisit, sic bigamum ad Diaconatum promouit, sic propter defectum Episcopi, confirmationis sacramentum simplici sacerdoti commisit, & id genus alia.

Quare plerisque Catholicis viris ante hæc nostra tempora visum est, & multis adhuc videtur, pro præsentis temporis ini-

quitate, continentiæ legem quoad clerum secularem satius esse dispensando benigne relaxare, quam eadem mordicus retenta impurissimo cœlibatui scortationique contra diuinum præceptum fenestram relinquere.

Ita sane, vt primo clericis in minoribus ordinibus constitutis, adeoque ipsis sacerdotibus, qui vel adhuc cœlibem vitam agerent, vel in futurum cœlibes ad sacerdotii ordinem peruenirent, liberum esset in cœlibatu permanere, vel matrimonium contrahere, maxime cum Cardinalis Panormitanus Canonistarum Princeps affirmet, continentiam in clericis secularibus non esse de substantia ordinis, nec de iure diuino, ideo eum credere, & apud se indubitatum esse, quod pro bono & salute animarum salubre statutum esset, vt clerici Latinæ seu occidentalis ecclesiæ volentes continere & magis mereri, relinquatur voluntati eorum, non volentes autem continere, possent contrahere: quia experientia docente contrarius effectus prorsus sequatur ex illa lege continentiæ, cum hodie non viuant spiritualiter, nec sint mundi, sed maculentur illicito coitu cum illorum grauissimo peccato: vbi cum propria vxore esset castitas, vnde Ecclesia deberet facere, sicut bonus medicus, vt, si medicina docente experientia, potius officit, quam prosit, eam tollat. Nec hæc res veteris Ecclesiæ exemplis prorsus caret. Legitur enim in decimo Ancyrani concilii Canone, quod si Diaconi in ipsa ordinatione protestati fuissent, se velle habere vxores, nec posse continere, & postea ad nuptias venissent, eos in ministerio permansisse. Testantur etiam Ecclesiasticæ historiæ Adam presbyterum factum vxorem duxisse, & Ecclesiæ plurimum profuisse, Eupsichium vero Cæsariensem presbyterum, qui nuper vxorem duxerat, & adhuc sponsus erat, martyrio defunctum esse: liquet etiam ex sacris Canonibus Ecclesiam contra votum continentiæ seu castitatis per susceptionem sacri ordinis solemnisatum, maxime quoad sacerdotes non religiosos, dispensare posse: id quod nonnulli etiam ad Monachos extendunt, tantam summo Pontifici auctoritatem tribuentes, vt etiam contra votum religionis, ex causa publicæ vtilitatis dispensare valeat.

Secundo, vt honesti mariti, docti & rerum ecclesiasticarum periti ad sacros maiores ordines admittantur, cuius rei tot tantaque in Ecclesia extant exempla, vt nulla plane comprobatione opus esse videatur.

Tertio, vt cum sacerdotibus, qui iam antea contra constitutiones canonicas de facto saltem matrimonium contraxerunt, in tanto ministrorum defectu dispensaretur, vel, vt denique ministrare possent, per Ecclesiam gratiose tolerentur, & suis conscientiis relinquantur: valde enim absurdum foret clericos vxoratos amouere: fornicarios vero, qui & contra legem diuinam & humanam simul delinquunt, tolerare. Quod si vtrosque (vt æquum quidem est) amouerimus, aut nullos, aut sane paucissimos habituri sumus ministros & pastores: populus vero precioso Christi sanguine redemptus, maximum & diuini verbi, & administrationis sacramentorum defectum & penuriam passurus sit.

Quod si clerici omnino castitatis voto adstringendi sint, tales tantum qui prouectæ ætatis essent, sacro ordini adscribendi forent, de quibus spes esset maxima, vt cœlibatum pie & inuiolate colerent, & in quos non caderet suspicio vitæ turpiter degendæ. Si enim iuniores, vt fit, & defectus ministrorum, adeoque ipsa necessitas exigit, quorum ætas & vita talis est, vt libidinibus obsistere non velint, aut non possint, admittendi sint ad ordines, an non præstiterit eis permittere, vt Pauli consilio vtantur dicentis, propter fornicationem vnusquisque habeat suam vxorem & melius est matrimonium contrahere quam vri, quam vt illi voto, seu legi continentiæ obstricti perpetuo vrantur, & in peccato volutentur.

Nec satis firma eorum videtur esse ratio, qui propter conseruanda bona Ecclesiastica cœlibatum mordicus retinendum putant. Pensitandum enim est, an deceat Ecclesiam tanta animarum periclitatione conseruandis bonis intendere, cum eorum indemnitati & conseruationi per solemnes eorum bonorum descriptiones & inuentaria aliisque id genus legitimis Canonicisque cautionibus rectissime prouideri queat.

Nec dubiũ est, si hæc supra annotata bene ponderentur, & in his concessio fieret, quin in breui clerici concubinatus ex Ecclesia proscriberetur, & exploderetur, atque scandalum illud manifestum, quod hactenus multos offendit, & odium contra Ecclesiam & Catholicum clerum fouit, & alienos à nostra lege fecit, tolleretur: imo gladius, quo huc vsque Ecclesiam & clerum persequuti sunt, aduersariis adimeretur.

Hoc denique medio clerus apud Ecclesiam & Religionem Catholicam in officio retineretur, & populus mirum in modum ad sacra nostra diligentius, frequentius, maiorique cum deuotione audienda & peragenda inuitaretur & alliceretur. Sed hæc omnia iudicio Illustrissimæ D.V. subiecta sunt, cui me debita cum reuerentia commendo.

Mittantur per manus Illustrissimis & reuerendissimis Dnn. Cesis, Morono, Farnesio, Sarraceno, Montepolitiano, sancti Clementis, de Pisis, Reomano, Capozucho, Alexandrino, Aræ cœli, Sabello, Simonete, Aburdesia, Amulio, Paceco, Gambare, Gonzage, Camerario.

ORA.

ORATIO HABITA AB ORATORE ILlustrissimi D. Alberti Ducis Bauariæ in generali congregatione sacri concilij Tridentini sub S. D. N. Pio PP. IV. die XXVII. Iunij M. D. LXII.

QVandoquidem S. D. N. aliquoties perquam paterne, atque vos ipsi Reuerendissimi & Illustrissimi sacri concilii Tridentini præsides etiam amice, vt ad celebrationem huius tam sancti, tamque necessarii instituti legatos mitteret Illustrissimum & Serenissimum Principem, dominum Albertum comitem Palatinum Rheni, superioris inferiorisque Bauariæ ducem &c. exhortati estis, sui muneris esse putauit illustrissima sua celsitudo, ne cum Princeps sit Catholicus, nihilque magis elaboret, quam salua vt sit catholica religio nostra, tam necessario tamq; sacrosancto operi deesse videretur, decreuit sane legatum suum ad concilii negotium opportunis mandatis instructum ablegare. Quod quidem iam ipso facto præstans ablegauit & misit præsentem me illustriss. suæ celsitudinis seruitorem, cum plenissimo mandato, vt suæ illustriss. celsitudinis nomine paucula quædam sacro concilio proponam, & postea etiam, vbi vsus & opportunitas erit, tractarem, agerem, atque efficere curarem, quæ ex honore sacri concilii & illustrisl. suæ celsitudinis officio esse videantur. &c

Principio igitur tam ipsis reuerendissimis & illustrissimis cōcilii præsidibus, quā reliquis Reuerendissimis patribus plurimam & deuotissimam affero illustriss. suæ celsitudinis nomine salutem, amicitiam, ac beneuolentiam. Et profecto summopere lætatur illustriss. sua celsitudo, quod sacrosancti huius Tridentini concilii non modo auspicato initium factum sit, sed etiā feliciter progredi actiones eius intelligantur, & quidem eo modo, vt omnes pii merito queant felicissimum euentum sperare. Quamquam vero, siquidem est secularis, atque idcirco illustrissimam suam Celsitudinem minime decet in concilio aliquid vel decernere, vel præscribere in rebus spiritualibus: sed tamē secularium Prin-

cipum cum intersit, vel in primis, ne quid autoritatis, quo minus feruens concilii cursus procedat feliciter, deesse videatur: eam tamen ob causam me potissime misit Tridentum, quippe vt concilium illustriss. suæ celsitudinis nomine cohonestem, concelebrem, ac, si fieri possit, adiuuem etiam pro virili mea: hac tamen habita ratione, vt meminerim illustriss. suam celsitudinē esse secularem, non spiritualem Principem, cuius sit non dare, sed accipere leges ab Ecclesia. Hæc etenim, quia pia materfamilias est, atque legitima diuinarum rerum dispensatrix, solausque & salutaris medica, cui nullum medendi modum prę scribere debemus, sed morbum ostendere, & efficacem sperare medicinam.

Communes quidem Germaniæ morbos proculdubio Reuerendissimis sacri concilii proceribus notos esse, nec dubitandum existimat illustriss. sua celsitudo, quin etiam audierint, quo in statu Bauariæ nunc Catholica religio versetur. Quandoquidē enim aliæ prouinciæ, quæ Bauariam circumquaque propemodum cingunt, diuersis sunt variisque infectæ erroribus, eosque non fouēt modo apud se, sed propugnāt etiam pertinaciter, propagantque, quoad fieri potest, summo studio, facile existimari potest, quanto partim dolo, partim manifesta vi in Bauariā irruere conētur sectę quarum alię quidem aliqua diligentia autoritateq; illustriss. principis mei repressæ sunt, aliæ, nescimus quo infelici Bauariæ fato, iā in ipsa Bauariæ viscera penetrarunt, easque nunc (quod vehementer dolendū) radices egerunt, vt voto magis quā facto extirpari posse videātur. Superioribus annis habita est totius Prouinciæ, tā in clero, quam in populo de fide Catholica & de honestate morū visitatio. In fide autem, & in ipsa Religione nostra quot repertæ sint, & quantæ hæreses, nimis longe foret, si omnes deberēt recenseri. Crassiores igitur generatim perstringi possunt, cum vniuersæ explicari non queant.

Reperti sunt enim inter parochos, ceterosq; ministros Ecclesiarum, quorum alii Zvvingliani, alii Lutherani, alii Flacciani, alii Anabaptistæ, alii qui Manichæorum dogmata renouant, alii qui Eunomianorū, alii, qui Iouinianorū, alii qui aliorū deliramēta & errores sectātur atq; propagāt. Hæc Catholicæ fidei nostræ zizania, quoniā pręlati pullulātia passim in ipsis herbis nō extinxerūt, & iā mox adulta extirpare nō potuerūt, eo nunc res deuenit, vt si-

quis

quis nũc hæc zizania eradicare conetur, metuendũ sit, ne bonum triticũ cõculcet, zizania tamen nõ euellat penitus. Na huius pestis cõtagio nõ modo in fece infimæ plebis, ſed etiã in penetralib. ſtatuũ ac Reip. maxime autẽ nobiliũ ac ciuiũ verſatur: qui ita animis errore correptis quotidie magis magisq; vicinorũ ſectariorũ cõmercio obfirmãtur, vt foris cũ aduerſariis nõ occulto ſentiant, domi vero nihil nõ ſedulo faciãt, quod inuehẽdis errorib. percõmodũ ſit & ſanctiſſimis priſcorũ conſtitutionib. pernicioſum, ita vt quacunq; omnino ratione id agãt vnũ, ne locus amplius relinquatur ſanæ & Catholicæ doctrinæ tutus aut integer. Vnde viri prudẽtes, quã difficilis ſit & quã periculoſa in iſtis Ducatibus gubernatio, facile iudicare poſſunt.

Huic autẽ malo magnã anſam fuiſſe præbitã omnes homines ſani fatentur, cũ à clero, tũ à populo: quádo hic nullũ poſſit inter doctrinã & doctorem diſcrimẽ cernere, ille id ſibi ſemper licere, quod liberet, arbitraretur. Tametſi autẽ degenerantis populi malitia tanta eſt, vt, per ſe huic ſubſecutæ hæreticæ cõtagioni, abũde materiã dederit: tamẽ dubiũ haud videtur, quin cũ clerus ſal terræ eſſe debuerit, infatuatus ſit, nec ad eam rem, ad quam maxime oportebat, vtilis, magnam in clero culpam huius mali verſari oẽs ſapientes oporteat cõfiteri. In viſitatione nuper habita quanta omnis generis flagitia in morib. cleri cõperta ſunt: quanta ſocordia & ſupina negligentia, in quibusdam procerib. ſeu Eccleſiarũ prælatis, auriũ pudore, ne manifeſtentur, prohibemur, ipſa morũ turpitudo efflagitat, ne maneant diutius inemẽdata. Atq; hæc ſi quis vellet ſigillatim, prout per ſeſe res ipſa habet, atq; explorate conſtat, enarrare, caſtis piisq; Reuerendiſſ. patrũ aurib. omnino fieret moleſtũ, aliis vero, qui minus firmati ſunt, ingens periculoſũque offendiculũ præberetur. Quamobrẽ illuſtr. Princeps noſter hoc abũde ſatis exiſtimat: ſi vobis reueren. & illuſtr. Tridentini cõcilii legatis atq; patrib. ſaltẽ per occaſionẽ inſinuaretur, vt dũtaxat accuratiſſime vobiſcũ perpẽdatis, quam infructuoſa doctrinæ emẽdatio futura ſit, niſi prius Dd. q. tanquam vaſa doctrinæ iudicantur, ab omni ſorde, morumq; fœtore, expurgati repſentẽtur populo. Oẽs ſapiẽtes peritiq; viri vnanimi ſentẽtia hoc aſſerũt, hoc efflagitant penitus, vt prius clerus Eccleſiarumq; miniſtri à vitæ ſordib. repurgẽtur, q̃ vlla queat fructuoſa doctrinæ diſcuſſio ac deter-

minatio feliciter inchoari ac definiri ſalutariter. Deinde nec paruum momentum videtur, quod hęc pernicioſa contagio non modo non ceſſat tam longo tempore, ſed ſubinde grandeſcit, etiam multis variisque amplificata acceſſionibus. Quippe clerus noſter tantis Eccleſiæ calamitatibus nullo modo neque afficitur, neque affligitur, ſed multo magis inſoleſcit, gulæ libidinibusq; indulget, ac quaſi velit in contemtum Dei hominumque omni genere vitiorum ſe coopertum potius palam cognoſci, quam minima aliqua in re emendatum animaduerti. Vt cetera cleri vitia, quæ cum populo communia habet, taceantur. At certe libido illa in clero nimis libera atque notoria, propter quam is nunc potiſſime infamis eſt, à plebe irritatoque populo alieniſſima eſſe iudicatur. Si quidem politici magiſtratus nullum in ciuili ſocietate ciuem ferunt, qui palam ſcortetur, domique ſuæ tanquam in publico lupanari ſcorta fouere ſtudeat. In proxima viſitatione per Bauariam facta tam frequens concubinatus repertus fuit, vt vix inter centum tres vel quatuor inuenti ſint, qui aut manifeſti concubinarii non fuerint, aut clandeſtine matrimonia non contraxerint, aut vxores palam non duxerint. Quæ morum turpitudo in clero vehementer offendit imperiti populi animos, tantopere vt ſacerdotium vna cum ſacerdotibus, doctrinam vna cum Doctoribus execretur, dirisque deuoueat. Ita vt ſit confeſtim paratus ad quamvis ſectam exire potius, quam redire velit ad Eccleſiam.

Præterea nec pauci homines à nobis deficiunt ad ſectarios ob vtriusque ſpeciei prohibitionem, cum arbitrentur de communione vtriusque ſpeciei expreſſum Dei verbum extare, de vna ſpecie nullum reperiri. Huc accedit, quod vtriusque ſpeciei vſus non modo in primitiua Eccleſia, ſed etiam nunc in omnibus Orientalibus Eccleſiis frequens eſt, & quidem celeberrimus: quin nec Romana Eccleſia olim ab eodem vſu abhorruit, quemadmodum ex variis diuerſisque hiſtoriarum monumentis edoceri poteſt. Nec ſane id parum mouet homines præſertim in Bauaria, quod Paulus tertius edita bulla ſua conceſſit Germaniæ Epiſcopis poteſtatē communicandi & populo ſub vtraque ſpecie. Quod quidem ſummi Pontificis decretum vrgent ſummi & infimi, illuſtriſsi-

Illustrissimumque meum Principem eam ob causam vehementer culpant, quasi, quod absit plane, diuinam institutionem contra expressum Dei verbum inuideat subditis suis. Ea inuidia quoniam illustriss. sua celsitudo vehementer grauatur, frequentius subditorum querelis apud alios Germaniæ principes odiumque hoc sui æque domi ac foris adeo subinde exasperatur atque increbescit, vt plerique, quibus veloces pedes sunt ad effundendum sanguinem, nihil expectent auidius, quam aliquam præberi mouendis tumultibus occasionem. Hinc proculdubio Reuerendiss. illustriss. sacri concilii præsidentes atque patres perspicuo vident, quanto in periculo versetur illustriss. & clementiss. Princeps propter cohibitionem vtriusq; speciei: Itaque libere fatetur nisi authoritate Tridentini concilii hisce malis, quæ à nobis commemorata sunt, salutaris medicina primo quoque tempore adhibeatur, illustriss. suam celsitudinem nullo modo in tanta animorum exacerbatione subditos suos regere posse, atque in legitima obedientia continere aliter, nisi vt magno suo dolore, & haud incerta sinceræ Religionis iactura inuitus aspiciat tandem, quod prohibere solus nequeat. Quanquam vero, vt antea dictum est, illustriss. & clementiss. Princeps meus hæc grauamina eo animo non proponat S. Concilio, quasi præiudicium aliquod adferre aut iudicium auferre velit, cum non ignoret, quid postulet officium secularis Christiani principis, quem deceat se obedientem Apost. sedis filium & non iudicem controuersæ Religionis in concilio exhibere.

Quapropter, cum hæc talis suspicio procul à persona illustr. suæ celsitudinis submota sit, tum illud non dedecere se arbitratur, si saltem quid sibi hisce malis remedii salutariter adhiberi posse videatur, familiariter, & quasi consultandi gratia S. concilio insinuer.

Primum igitur quantũ attinet ad submouenda publica scandala cleri, quibus imperitus populus permotus subinde magis magisq; efficitur à Catholica Religione nostra alienior, illustriss. celsitudo sua putat huic communi morbo duobus remediis occurri posse. Quorum prius, vt clerus iuxta antiquos Canones re-

formetur. Alterum, vt prælati dent operam erigendis domesticis scholis & amplificandis publicis Academiis. Reformare mores cleri sæpius á diuersis Germaniæ Episcopis tentatum est parum feliciter ac sine omni fructu: quemadmodum re ipsa compertum est, cum tam ardua negotia non tam singulorum Præsulum autoritas, quam consensio vniuersorum rectissime vtilissimeque expediat, dum alii, ne suos capitulares fratres offenderent, conniuere visi sunt, alii, si quid tentarunt (vt fecerunt certe quidam optimi antistites) nihil tamen efficere idcirco potuerunt, quod Episcopi ceteri idem non versati sunt reformandi institutum. Quocirca existimationem priuatam reformationis operam inutilem fore & infructuosam, nisi eo accesserit generalis concilii autoritas, ac legitima executio decretæ reformationis.

Nec vero ignorat illustriss. Princeps, quid à plerisque, ne seria aliqua morum repurgatio suscipiatur, obiici soleat. Cum verendum sit, si clerus ex rigore antiquiorum canonum reformari debeat, fore omnino, vt plerique, omnes præsertim Parochi, Parochiarumque ministri (qui fere omnes concubinarii sunt) suas Ecclesias deserant, & confugiant ad sectarios, vbi concubinas liceat in vxores sumere, & vnumquemque ex libertate carnis, ita, sicuti velit, viuere. Negari haud potest, quin hæc omnia in malis sacerdotibus expectanda sint, in bonis autem nullo modo. Verum vtcumque hoc metuendum videatur, non defuit tamen olim nec nunc deest huic malo nodo congruens cuneus. Nam diligentem operam impendere Antistites debebant, educando Ecclesiasticæ iuuentutis seminario: & quo in locum eorum, qui vel apostasia abrepti, vel morte defuncti essent, restitui possent. At enim vero hęc necessaria diligentia cum neglecta est, atq; hinc ista honesti cleri inopia emersit, in primis necessarium videtur, vt summo studio sacrosancta synodus Tridentina legitimum aliquem modum excogitet, quo inopia cleri auferri possit, copia restitui. Multæ enim adhuc sunt in Catholicorum Principum territoriis opes: quarum aliæ in continua simonia versantur: aliæ tenentur ab hominibus indoctis, impuris, inutilibus: aliæ etiam per fraudem eorum, qui bona vel maxime tueri debuerant, extinguun-

tinguuntur passim ab Ecclesiis abalienatæ & translatæ in vsus profanos. Nec dubium est, quin si hæc Ecclesiastica bona in certum ordinem redigerentur, posse inde selectum aliquem & copiosum Ecclesiastici seminarii in iuuentute plantari cœtum, & ex eo cœtu subinde, vbi necessariæ vtilesque personæ requirerentur, tanquam ex instructa officina cateruatim depromi.

Atqui vero si hae via collabascenti Ecclesiæ occursum non fuerit, timendum prorsus, ne aliquando Catholicos, tam vi sectariorum expugnatos esse, quam domesticis copiis destitutos periisse, conqueri oporteat.

Quapropter Illust. Princeps amice submisseque admonet, S. concilii Reuerend. ac illust. dominos legatos ceterosque patres, vt hanc rem sibi velint in primis esse curæ, ne posthac tanta educandæ iuuentutis negligentia prælatis permittatur. Sperandum enim magnopere mirabiliter suas Ecclesiæ vires pedetentim restitui posse, si sedulo operam nauaremus erudiendæ copiosæ iuuentuti, & ornandis fouendisque piis ac doctis hominibus, qui Ecclesiam doctrina aduersus hæreses tueri queant, & submouendis inutilibus flagitiosisq; sacerdotibus, qui suis moribus turpissimis Ecclesiam vehementer deformant & sua inscitia labefactant non mediocriter. Illustr. vero Princeps meus quid grauissimis sumtibus & perpetuo studio hac in re conatus sit referre iactanter minime cæpit: testes autem habet quamplurimos, tam eos ipsos, quos liberalissime etiamnum fouet doctores, professores, atque sacerdotes, quam vicinos prouincialesque Episcopos & alios etiam Catholicæ religionis amantes.

Ceterum existimant plerique viri rerum Germanicarum periti, tale nunc esse in Germania seculum, quasi quandam occultam naturæ vim, quæ non modo omnes libidinosos, sed etiam moderatos vereque Catholicos eo perduxit, vt plerique omnes castum matrimonium contaminato cœlibatui præferendum arbitrentur. Quamobrem animaduertitur passim præclara ingenia doctissimosque homines ducere vxores malle, vt careant Ecclesiasticis beneficiis, quam Ecclesiastica beneficia

accepta-

acceptare, & carere vxoribus. Videlicet, cum videant reliquam cleri multitudinem gulæ libidinumque flagitiis coopertum, magno detrimento esse ac dedecori Catholicæ religioni, ne ipsi in hoc contaminationis grege versari cogantur, eorumque videri consimilimos. Hinc enim doctorum hominum in clero penuria extitit, hinc cleri detestanda inscitia traxit originem, hinc hæretici sumserunt vires, Ecclesia vero debilitata est. Periti igitur, qui pressius hæc negotia accuratiusue discusserunt, existimant, quod ad subleuandam penuriam docti idoneique cleri vix alia ratione, præsertim hac ætate nostra in Germania clerus instaurari ac saltem ad obeunda necessaria Ecclesiæ munera satis frequens haberi queat, nisi more primitiuæ Ecclesiæ docti, mariti & ad docendum instructi admittantur ad sacros ordines, præsertim vero ad prædicandum & amplificandum populo verbum Dei. Legis enim diuinæ cum non sit, vt oporteat hominem sacerdotem esse cœlibem, siquidem constet ex veterum monumentis atque historiis maritos sacris ordinibus initiatos esse, & non modo ad sacerdotii dignitatem, sed etiam ad sublimitatem Episcopi peruenire. Quapropter hanc rem videri eiusmodi esse, cum qua ius diuinum non sit, vt S. D. N. sacrique concilii autoritas possit ex instinctu diuino id statuere pro necessitate laborantis Ecclesiæ, quo status cleri instaurari queat, ac vires sectariorum infirmari. Verum hoc non aliter in concilio proponi iussit illustriss. Princeps meus, nisi vt Reuerend. Patres Germaniæ morbos tanto diligentius inspicere queant, & quid remedii salubriter adhibendum iudicent, opportuno loco & tempore constituere.

Postremo vero, quia fuit hoc consilium statim ab initio huius exortæ dissensionis piorum doctissimorumque hominum, ne tantopere ob vnius alteriusue speciei vsum tanta certamina instituerentur, ipso rei euentu animaduersum est, quod pleræque Prouinciæ in Germania in obedientia sedis Apostolicæ retineri potuissent, ab omni reliqua sectariorũ labe immunes, si moderatio quædam in re, natura sua indifferente, admissa fuisset. At vero cum populus vtriusque speciei vsum quasi ex diuina institutione sibi deberi arbitraretur, cumque vicissim vsus à Prælatis constanter denegaretur, surreptitii sectarum duces eam occasionem nacti

ſub prætextu diuinæ inſtitutionis & concepto odio irati populi, non ſolum hoc ſanctæ Euchariſtiæ ſacramentum penitus profanarunt, ſed etiam ſub eodem prætextu diuerſa hæreſium ſemina diſperſerunt, vt nunc occaſione vtriusque ſpeciei non modo populi Germaniæ, ſed & reliquæ nationes inſtar torrentis ab Eccleſia Catholica defluere videantur. Vt autem hæc iſta tam frequens defectio, tamque feruens decurſus ſaltem inhiberi aliquo modo poſſit, prudentium virorum iudicium eſt, ſi S.D.N. ex plena poteſtate ſedis Apoſtolicæ & ex iudicio S. Tridentini concilii Laicis vtriusque ſpeciei communionem benigne largiretur, fore, vt qui hactenus ſedi Apoſtolicæ obedientes remanſerint, in poſterum quoque obedientes permanſuri, ac ſi qui leniter deflexerint, ad obedientiam reuerſuri exiſtimentur, quemadmodum in nonnullis cognitum eſt, qui cum ex indulgentia Pauli tertii compotes deuotionis ſuæ facti eſſent, reuerſi ſunt ad Eccleſiam.

Cum igitur hæc tria, turpis vita Cleri, concubinatus ſacerdotum & prohibitio vtriusque ſpeciei principales cauſæ ſunt, cur tanto odio Catholicorum, tantoque ſtudio nouitatis populi nationesque ab obedientia Apoſtolicæ ſedis reſiliant, conferantque ſe ad diuerſos ſectarum duces, periti ſane Catholici viri arbitrantur, nullis aliis præſidiis hoc tempore populum ſtudio nouitatis tumeſcentem, ne ſenſim in manifeſtam defectionem prorumpat, in obedientia ſedis Apoſtolicæ retineri poſſe, quam ſi ad ſubmouendos vitioſos ſacerdotes idoneus clerus ex inſtauratis ſcholis copioſe educaretur: ad tollendum turpem concubinatum caſtis maritis ſacri ordines, concionandique in primis facultas, conferrentur: ad placandos irritati populi animos vtriusque ſpeciei vſus permitteretur. Quia vero dubium non eſt, etiam ſi hæc tria ex quadam Catholicæ matris Eccleſiæ indulgentia per autoritatem præſentis concilii rite ordinarẽtur, tamen ſectarios duces ſeductosque populos idcirco ad Eccleſiam non reuerſuros eſſe, cum palam editis libris non dubitent obfirmare ſeſe, quod nunquam velint Romanis pontificibus vllam obedientiam præſtare: Itaque non vult illuſtriſſ. Princeps meus hanc ſuam ſententiam ita accipi, quaſi illis tribus conceſſis putet hæreticos poſſe ad Eccleſiam reduci, ſed eam eſſe multorum piorum hominum

opinionem, quod isto modo Catholici populi reliquiæ in Germania confirmari, atq; retineri aliquo modo possint, cum hoc tempore non tam necessarium videatur, vt refutentur ab aduersariis, quam vt queant fulciri domesticæ summę nostræ, quæ nūc non minus domi graues sunt, quam foris aduersariorum machinationes. Atq; hoc illi, qui enodatius præsentis Ecclesiæ statū ad limā ducunt, eo interpretantur, vt opinentur in pręsenti concilio Tridentino nihil prius ducendum esse, quā vt ante omnē cuiusuis dogmatis explicationē necessario præcedere debeat eiusmodi morū in Catholico clero rebusq; Ecclesiasticis (de quibus paulo ante facta mētio) reformatio. Vt cū personæ clericales pristinæ innocētis vitæ suæ testimoniū receperint, tandem maiori apud populum autoritate ac fide id possint, q, in Catholica fide nostra verū est, constanter docere, q, falsum, refellere. Nec est vllus persuadēdi modus, quo clerus populo reconciliari potest, & audientiū sibi parare aditū, nisi palam constet anterioris vitæ inquinamēta abiecta esse, atq; purioris vitæ documenta palā exhibeantur. Quocirca omne Tridentini huius concilii studiū prorsus inane futurum creditur, nisi omnis huius mali origo atq; scaturigo, quasi in ipso fonte, hoc est, in clero eluatur atq; repurgetur, quo meliore auspicio repurgata fontis origo, in reliquos vniuersæ Ecclesiæ riuulos deduci posse vulgo cognoscatur. Postea vero cum talis facta reformatio, cum etiā honestioris cleri atque doctioris suppeditata est copia, cum turpem concubinatum sacerdotes deposuerunt, receperuntque vicissim sui licitam medicinam à concilio suppeditatam, siue constantem spontanei voti obseruātiam, cum etiam populus adhuc Apostolicæ sedis autoritate non prorsus exautoratus, de communione vtriusq; speciei mediocriter placatus existimatur, tum deniq; tempus erit, cum omnia nostra domi fieri confirmatiora, vt de dogmatibus ineatur aliqua solidior disceptatio aduersus hæreses. Qualis autem & quæ hæc disceptatio cū fructu Catholicæ Religionis suscipi possit, illustrissimus princeps meus solus nō scit fortasse optime, sed intelliguntur piorum hominum & Catholicorum hac de re non inanes voces haud obscure. De qua etiam, si suæ Illustriss. Celsitudinis opinio aliquando requiratur, posset ea, quæ aliquo modo expli-

cata sunt, non importune referre. Verũ hoc tempore quãdo hoc tantum est propositum legationis Illustr. Celsitudinis suæ nihil aliud velle in mediũ concilii per me afferri, nisi, vt cogitetur, nõ tam quomodo vel refutari sectarii queant, quod durũ est, vel reduci, quod multo magis dubiũ, sed potius quomodo hæ afflictæ Catholici populi reliq. æ possint corroborari, stabiliri, atq; reduci ad meliorem Ecclesiæ statum. Non enim videtur satis oportunũ velle omni conatu aduersæ religionis partes inuadere, & nõ prius omne studiũ impẽdere, vt ante omnia nostræ vires recte domi constitutæ sint, & ita quidem confirmatæ, vt tam singulæ quã vniuersæ, vniuersis ac singulis contrariis possint opponi feliciter.

Reuerendiss. autem illustrissimiq; S. concilii legati ceterique Patres hanc illustriss. & Catholicissimi Principis mei qualẽcunque suggestionem forsitan non satis elaboratam, amicam tamen beneuolentissimamq; suapte natura boni consulent. Constãter enim sperat, nihilq; penitus dubitat Illustr. sua celsitudo eidẽ sacrosanctæ Tridentinæ synodo hanc suam deuotissimã iuuandæ Ecclesiæ deliberationẽ, si nõ inseruire cõmodissime, vlterius tamen de grauissimis istis Ecclesiæ afflictionib. cogitandi materiã & occasionem subministrare posse: Deum enim summũ testatur nihil esse eorum omnium per me propositorum, quæ ipse temere absq; consilio sibi expetat, ac nõ potius extrema esse Reip. Christianæ adhibenda remedia putet. Ad illũ ipsum illustriss. & piissimum Principem meũ, quod attinet, ita firmissime animo propositum habet, cũ Dei benignitate auitis in religione & doctrina Catholica vestigiis diligenter insistat, nihil existimat, tam necessarium tamq; pium vitæ suæ munus, quam id pro virili efficere & obtinere, vt ii, quos regendos tutandosque Deus illi commisit, perpetuo secum habeant recte, orthodoxe & Catholice credendi, pieque secundum instituta patrum viuendi commoditatem. Gratissimum vero quouis tempore Illustriss. suæ Celsitudini futurum est, si, quæ hucusque in Religionem Catholicam præstitit, libentissimo sane animo officia auctiora posthac & cumulatiora ingenti subditorum ac patriæ fructu reddere vlla ratione poterit. Dixi.

RESPONSVM SANCTÆ SYNODI *in admissione Oratoris Illustriss. D. Alberti Ducis Bauariæ in generali congregatione, die XXVII. Iunij, M. D. LXII.*

EXcellens Doctor, & Magnifice D. Orator in magna expectatione sancta synodus vsque ad hanc diem fuit, vt aliquis ex nobilissimis Germaniæ principibus ad hoc sacrum concilium accederet, & sua præsentia eam pietatem in Catholicam Ecclesiam declararet, quæ in primis à Principibus viris expectari debent: vel, si ipsi grauioribus negotiis impediti adesse non possent, oratores suos mitterent, qui optimam illorum voluntatem profiterentur: inter ceteros autem, à quo omnia pietatis officia sancta synodus expectanda esse semper existimauit, Excellentissimus & illustrissimus D. Albertus Bauariæ dux extitit, qui veram & Catholicam Religionem à clarissimis nobilissimisque maioribus suis traditam, tanta fide & constantia conseruauit, vt hisce miseris temporibus in tota Germania firmissimum Sanctæ Apostolicæ Ecclesiæ propugnaculum iure optimo habendus sit. Cum igitur graues rationes prohibuerint, quominus ipse huc accederet, suumque egregium animum sanctæ synodo coram declararet, quod quidem eum præstiturum esse, si per alias occupationes sibi licuisset, dubitare non potest, summa lætitia affecta est, cum virum optimis artibus præditum suæ voluntatis testem ac veluti obsidē huc ablegauit. Sperat enim fore, vt eius autoritas nunquam defuisse videatur ad ea peragenda, quæ sanctam Dei Ecclesiam quacunque ratione iuuare poterunt. Quod igitur reliquum est, te Magnifice orator, sancta synodus benigne accipit, mandatumque tuum, prout iuris est, libenter admittit, daturaque est operam, quod quidem hactenus diligenter ac sedulo curauit, vt ea omnia pie & religiose constituantur, quibus Dei cultus magis amplificari, & fidelium saluti ac tranquillitati commodius consuli posse, afflante Spiritu S. qui optimorum consiliorum autor est, iudicarit.

EX

EX ORATIONE CARDINALIS LOtharingi Caroli Quisii Tridenti habita.

ALterum legationis meæ caput est, quod iam à principio Regi meo Christianiss. cum serenissimo Imperatore, & reliquis Regibus, & principibus viris, quorum hic Oratores clarissimos viros habetis, fuit commune: nempe, vt de reformatione morum, & Ecclesiæ disciplina omnino decernatur, de hac iterum, iterumque vos admonet, ad eam serio amplectandã (qua potest obseruantia) hortatur, & per Dominum nostrum Iesum Christum, qui iudicaturus est viuos & mortuos, obtestatur, si Ecclesiæ authoritatem integram esse vultis, si eius dignitatem conseruare, si iam inclinatum nobilissimæ Galliæ Regnum retineri posse iudicatis. Nec vos ex vestris commodis, nostra incommoda metiri æquum est: si enim vniuersa hæc Italia, si Hispania omnis, sedem & clauum tenet, gratulamur vobis felicissimi patres. Nos puppi excidimus, & vix supremo digito gubernacula retinemus. Hic nobis liceat iure vestro causas à nobis tantæ tempestatis exquirere. Quem accusabimus coepiscopi fratres? Quem tãti mali autorem constituemus? Memini quid velitis, nec memoria excidit vestrum de ea re commune omnium iudicium, hoc non sine innato pudore, & magna ante actæ vitæ pœnitentia dicere me oportet. Propter nos tempestas hæc orta est viri fratres: propterea mittite nos in mare. Quid addam amplius? habetis confitentes reos, in eos vt libet animaduertite. Nunc iudicium incipiat à domo Dei & mundentur, qui ferunt vasa Domini. Attendamus nobis, & vniuerso gregi. Quiescamus peruerse agere, & discamus bene agere: &c.

CAROLI IX. REGIS EX GALLIÆ

Oratorum actis, excusis Lutetiæ. A. 07. & 07.

PRæclarum est, ac pene diuinum, quod à vobis expectāt homines. Sic enim existimant, vos eos esse, qui nō vestris quidē, id est, humanis viribus, sed afflati Spiritu diuino, per Iesum Christū, religionem nostrā tot in eā inuectis opinionib. sauciā reficere & recreare: qui ecclesiā Dei per hosce quinquaginta annos contrariarū opinionum, quasi ventorū tempestate iactatā in portu collocare: qui deniq; in his pugnantiū inter se doctrinarū fluctib. statuere optime possitis, quid dignitas ecclesiæ, & quid temporū ratio postulet. Et quidē humana imbecillitate fortasse, & aliqua præfectorū ecclesiæ iniuria vel etiā, ne quid grauius dicā, præpostera pietate irrepsisse in ecclesiā, res nōnullas antiquatione, abrogatione, vel moderatione dignas, fateamur necesse est. Sed quemadmodū ii homines cōprimendi mihi semper visi sunt, qui arbitratu suo, vel potius libidine, sine autoritate, sine vllo decreto, cerimoniarū omnē penitus rationē, quæ ipsa comes est, & administra religionis, conuellentes, atq; ob id in pacata repub. tumultuantes, impiū quendā cultum, ritusq; nouos induxerūt: sic contra à nobis peccari fortasse potest, dum omnia, quæ seculis muniūtur, & longa vetustate, mordicus retinēda esse putamus: neq; satis spectamus, quid inclinatio rerū, quid momenta temporū, quid publica quies postulet. Nōnulla, atq; haud scio an verius dixerim, multa cōmuni cōcordiæ permittenda sunt, neq; quisquā à dignitate sua vel cōstantia alienū putare debet, aliquid alteri cōdonare potius, quam obstinatione rectæ sentētiæ tantā inter Christianos dissensionē alere. Sed vos, quam de mitigandis iis, quæ citra religionē inoleuerūt, cōtrouersiis curam & cogitationē suscepistis, eandem scio, nisi re plane constituta & composita, nunquam abiicietis &c. Dixit Vidus Faber Tridēti 26. Maii.

Oratorum Galliæ Monitio ad legatos Concilij.

QVatuor canones, de quibus sententiam dixistis, patres sanctissimi, etsi adeo perspicue & aperte sunt cōpositi, vt nullus videa-

videatur locus relictus dubitationi, tamen si in illis nõnulla mutẽtur, quemadmodũ nõnullis visum est, postulamus id fieri absq; eo, q̃ præiudicium vllũ fiat autoritati & prærogatiuæ regis Christianissimi, & quorũdam in Gallia monasteriorũ vetustissimæ cõsuetudini. Retinuerũt n. Galliæ reges, & post mille & amplius annos, quasi per manus acceperũt, vt quo die regiis insignib. ornantur, & cõsecrantur, sanctissimi eucharistiæ sacramenti communicationem sub vtraq; specie accipiant: monachi etiam non conficientes, statis quibusdam anni diebus.

Quod autẽ pertinet, ad cõmunicationẽ sub vtraq; specie, petitam à clarissimis Cæsareæ Maiest. & Bauariæ Ducis oratorib. quanquã nulla ea de re, vt sæpe testati sumus, in mandatis nostris singularis mẽtio fiat, duo tamẽ legationis nostræ præcipua capita sunt, quæ nos salua muneris nostri ratione nõ possumus prætermittere. Primũ, vt vos, patres sanctissimi, quam vehementer fieri poterit, oremus & hortemur, his turbulentis & calamitosis tẽporib. ad multa cõniuere, nónulla dissimulare, & quædam de summo iure ita remittere, vt cũ semper iuris diuini, ecclesiæ Catholicæ, & sedis Apostolicæ dignitas & autoritas sarta tecta maneat, nõnihil tamẽ hominũ imbecillitati & infirmitati, vt D. Paul. aliquando fecit, cõdonetis. Alterũ vero caput est, vt oẽs nostras actiones, cogitationes, studia deniq; omnia ad reip. Christianæ vtilitatẽ nõ solũ cõuertamus, sed etiam accõmodemus, cum ad omniũ Christianorum Regum & Principũ, tum optimi & religiosissimi Imperatoris, oratorum nutum ac voluntatẽ. Itaq; noluimus hac in re officio nostro deesse, sed p otius amplecti adeo iustam, sanctam & Christianam sentẽtiam, eamq; quoad fieri à nobis poterit, vel eo maxime iuuare, q̃ nihil propterea decedere videamus de autoritate & dignitate ecclesiæ Catholicæ, & huius sacrosancti concilii. Quod si in calicis distributione, vt in aliis multis, ecclesia Catholica, quemadmodum vos scitis, pro locorum, temporum, & hominum ratione, nõ eadẽ semper cõstituit & obseruauit, hoc possumus vobis bona fide polliceri, atq; omni asseueratione affirmare, nihil magis hoc tempore pertinere ad cõciliandas hominum voluntates, pacandos de religione tumultus, retinendos nostros, & eos, q̃ à nobis desciuerũt, reuocandos, q̃ si iustæ & Christianæ Oratorũ petitioni à vobis satisfiat.

POSTVLATA REGIS GALLIÆ
in Concilio Tridentino, Anno M.D.LXIII.

Quibus Cæsareorum Oratorum mandata quoque consentiebant, Capitibus XXXIV. comprehensa.

I.

VT sacerdotes, quos castos esse oporteat, & ex quorum incontinentia, in Ecclesia magnæ nascuntur offensiones, non alii in posterum ordinentur, quam qui seniores sint, & à populo bonum habeant testimonium, vt ex ante acta vita, quales postea sint futuri, non leuis fiat coniectura: & sacerdotum libidines ac flagitia acerrimis canonum pœnis coerceantur.

II. Caueatur, ne eodem die aut tempore omnes sacri ordines vni conferantur.

III. Nullus Presbyter ordinetur, cui non continuo, secundum concilium Chalcedonense, detur vna cum ordine beneficium ac Ministerium: Sic enim fieri consueuisse ordinationes à priscis illis Patribus, qui Titulos multo post tempore inuentos ignorarint.

IV. Diaconis & aliis sacris ordinibus restituantur sua munia, & antiqua functio, ne amplius nuda & in ceremoniis tantum posita nomina dicantur.

V. Presbyteri & sacris initiati, & cuiusvis Ecclesiæ ministerio addicti in ea vocatione, ad quam à Domino vocati sunt, permaneant: neque in alio munere & officio, quam quod Dei ministerium deceat, versentur.

VI. Nullus eligatur Episcopus, qui non & ætatis sit legitimæ, iisque moribus & doctrina præditus, vt & populum docere, & ei vitæ exemplar esse possit: & qui non sit satis iis omnibus instructus, quæ ad tantum munus obeundum sint necessaria.

VIII. Is item creetur plebanus, qui probatæ sit vitæ, qui sacrificium rite celebrare, & sacramenta, vt par est, administrare, & illorum

lorum vſum & effectum eos, quibus ea adminiſtrat, recte docere & inſtruere poſſit.

VIII. Ad cœnobium & Prioratum conuentualem nemo admittatur, niſi prius in celebri aliquo gymnaſio ſacras literas publice profeſſus, & magiſterium aut alium gradum adeptus fuerit.

IX. Epiſcopus per ſe, aut per eos, quos ad prædicationis munus aſſumet, qui tot erunt, quot pro diœceſis amplitudine videbitur opus eſſe, omnibus Dominicis & feſtis diebus, tempore item quadrageſimæ, ieiuniorumque & aduentus Domini, cottidie Dei verbum annunciet, & quotiescunque id opportune fieri poſſe iudicauerit.

X. Idem faciat plebanus.

XI. Abbas & Prior conuentualis libros Veteris & Noui teſtamenti interpretetur. Xenodochia ac valetudinaria inſtituat, & ita monaſteriis antiquæ ſcholæ reſtituantur.

XII. Qui hodie ſunt Epiſcopi, plebani, abbates aut alii Eccleſiaſtici, ſi ſuum munus obire non poſſint, accipiant coadiutores, per quos illud præſtent, aut omnino ſacerdotia à ſe abdicent.

XIII. De Catecheſi, ſumma doctrinæ Catholicæ conſcribenda & breuibus Euangeliorum explicationibus, quas vulgo Poſtillas vocant, ea decernantur, quæ Cæſareæ Maieſtati viſum eſt referre ad hoc ſanctum concilium.

XIV. Vnum beneficium vni tantum conferatur, ſublata eorum, quæ ſimul teneri & non ſimul teneri poſſunt, perſonarumque differentia, quæ diſtinctio, vt eſt noua & antiquis decretis incognita, ita tanquam Eccleſiæ damnoſa in poſterum tollatur: regularia item regularibus, ſecularia ſecularibus cedant.

XV. Qui duo pluraue nunc poſſident, aut illud tantum retineant, quod optauerint, aut in Canonum pœnas incidant.

XVI. A ſacerdotali ordine ſordes & omnis auaritiæ labes procul expellantur, nec vllo prætextu pro rebus diuinis quicquam exigatur. Curet Epiſcopus per vnionem beneficiorum, aut per decimarum aſſignationem, &, ſi hoc commode fieri non poſſit, per parœciarum ſymbola ac collectas, vt plebani, & cum illis duo pluresue clerici habeant, vnde vitam tolerent, & hoſpitibus viaticum præbeant.

XVII. In ſacrificiis parœcialibus Eungelium aperte & dilucide & pro populi captu copioſe ex ſuggeſtu exponatur: quo in loco quæ plebano præeunte fient preces, lingua fiant vernacula: peracta autem re diuina Latine & myſticis precibus, lingua etiã vernacula publicæ ad Deum preces fiant, & eo tempore ac aliis præſtitutis cantica pia aut pſalmi Dauidici cantentur itidẽ populari ſermone, prius ab Epiſcopo diligenter examinati.

XVIII. Antiquum Leonis & Gelaſii decretum de communione ſub vtraque ſpecie in vſum reuocetur.

XIX. Vt omnes, præcipue literarum imperiti, vſum & efficaciã ſacramentorum animo percipiant, præcedat ſemper lingua vernacula breuis ac dilucida explicatio, quæ ſacramenti, quod adminiſtratur, rationem reddat.

XX. Beneficia ſecundum antiquos canones non amplius exteris & per vicarios conferãtur, ſed per ipſos ordinarios, quorũ eſt in hoc maxime electa induſtria, & illis intra ſex menſeis non cõferentib. poteſtas conferendi ad proximum ſuperiorẽ deuoluatur, & per gradus ad Pontificem, iuxta concilium Lateranenſe: neque aliter collatio valeat.

XXI. Mandata de prouidendo, expectatiuæ, regreſſus, fiduciariæ reſignationes, commendæ reuocentur, & tanquam S. decretis contrariæ, ab Eccleſia omnino arceantur.

XXII. Reſignationes in fauorem eliminentur omnino à Curia Romana, quippe cum à ſacris canonibus inſtitutum ſit, ne quiſquam ſibi officii ſui quærat aut eligat ſucceſſorem.

XXIII. Prioratus ſeculares, aut, vt vulgo dicũtur, ſimplices, quib. contra inſtitutionẽ cura animarũ adempta eſt, & translata in vicariũ perpetuũ, parua tantum quadam decimarũ aut aliorum prouentuum penſione ei aſſignata, cum primum vacauerint, curam animarum recipiant, & in antiquum ſtatũ reformentur.

XXIV. Cum beneficium ſine officio nec eſſe debeat, nec poſſit, Epiſcopus, ſi quæ ſint eiuſmodi, quæ nullo concionandi, ſacramẽta adminiſtrandi, aut alio onere Eccleſiaſtico teneantur, iis ex capituli conſilio curam aliquam ſpiritualem imponat, aut ſi vtilius videatur, ea vicinioribus parœcialibus Eccleſiis vniat.

XXV. Penſiones ſuper beneficiis non conſtituantur, & quæ ſunt conſtitutæ tollantur.

XXVI. Episcopis intra omnem diœcesim ecclesiasticæ iurisdictiones restituantur, sublatis exemptionibus, nisi certis casibus.

XXVII. Canonici Cathedralium Ecclesiarum sint assidui in Cathedrali Ecclesia, bonis moribus ac doctrina præditi, quiq; saltē vigesimum quintum annum attigerint, ex quorum consilio Episcopus iurisdictionis suæ munus exerceat.

XXVIII. Retineantur antiqui, aut noui cōstituantur consanguinitatis, affinitatis vel cognationis spiritualis gradus, intra quos non liceat obtentu cuiusuis dispensationis matrimonium contrahere, exceptis solis Regibus aut Principibus propter bonum publicum.

XXIX. Doceatur populus, quid de imaginū cultu sit sentiēdum, curetque Synodus, vt si quæ in iis colendis irrepserunt superstitiones & abusus, tollantur, quo Iconomachis nuper exortis tumultuandi causa præcidatur. Quod idem dictum intelligatur de indulgentiis, peregrinationibus, reliquiis sanctorum, & iis sodalitatibus, quas vulgo fratrias vocant.

XXX. In Ecclesia propter graueis & publicas offensas publica pœnitentia instituatur, & ad Dei iram placandam ieiunia & luctus publici.

XXXI. Excommunicatio, quæ supremus est Ecclesiæ gladius, non passim pro quouis delicto aut contumacia decernatur, sed pro grauissimo tantum peccato, si in eo post vnam & alteram & nonnunquam trinam monitionem reus non resipiscat.

XXXII. Ad forenseis controuersias, quæ vniuersum fere Ecclesiasticū ordinem contaminant, cōtrahendas, petitorii & possessorii in causis beneficialib. nuper inuenta distinctio aboleatur, & sublatis à concilio Constantiensi introductis vniuersitatum nominationibus, præcipiatur Episcopis, vt beneficia secundum Gregorii auctoritatem non ambientibus, sed fugientibus & de Ecclesia bene meritis conferant.

XXXIII. Si de conferēdi aut presentandi iure lis oriatur, primum ab Episcopo, capitulo consulto, œconomus vacante beneficio præficiatur, qui fructus omneis percipiat, & munia omnia Ecclesiæ subeat: dein litigatores in aliquot viros doctos Ecclesiasticos cōsentiant: & si nō elegerint, ab Episcopo dētur, q saltē intra sex

menseis

menſeis litem omnem dirimant, à quibus appellari non liceat: aut ſi appellationi deferendum videatur, mandetur interea executioni ſententia: nec teneatur œconomus, aut qui prior obtinuit, reſtituere fructus, pendente lite perceptos, in miniſtri & pauperum tantum alimenta expendendos.

XXXIV. Synodi Epiſcopales quotannis ſemel ad minimum, tertio quoquo anno prouinciales congregentur, in quibus de iis, quæ ad ſtatum Eccleſiaſticum ſpectant, diligenter tractetur, de miniſtrorum delictis mature cognoſcatur, & in eos, qui deliquerint, ſeuere animaduertatur. Concilia item generalia, niſi obſtet aliquod impedimentum, decimo quoquo anno celebrentur.

Finis articulorum, ex authentico deſcriptorum.

PRO-

PROTESTATIO ORATORVM CAROLI NONI CHRISTIANISSIMI GALLORVM REGIS, IN CONCILIO Tridentino: contra *Pium Quartum Pontificem Maximum*. M. Septembr. A. C. 1563.

LECTORI.

MAgnum inter Philippi Hispanorum Catholici, & Caroli Gallorum Christianissimi Regis Oratores in Concilio Tridentino, certamen fuit: vter alterum in Sessionibus, atque publicis tum priuatis actis, præcederet. Gallus antiqui moris rationem: Hispanus, amplitudinem Regni, Catholicæque religionis constantiam, expendi postulauit. Re itaque cum Pio Quarto Pontifice Maximo, per literas à suis Concilij Legatis communicata, atque tandem Romæ discussa: idem Pontifex, ijsdem Legatis, per Breue, sub excommunicationis pœna, pro Philippo pronuntiari mandauit. Hoc igitur Carolus grauissime ferens: per Oratores, suo nomine, de omnibus in Concilio gestis, ea quæ sequitur formula, protestari iussit. Vnde nouæ religionis homines occasionem arripuerunt: vt incessendis Pontificiis, Pasquillum in vulgus iactarint in hæc verba: ANTIPH. Cantauit Gallus. RESPONS. Vtinam ad Galli cantum, excitetur Petrus. *Hæc ego, ne non causam, quæ Carolum præcipue mouit, intelligeres, scire te quidem volui. Vale.*

CVm videmus, Patres Sanctissimi, vos, ex omnibus totius orbis Christiani Prouinciis conciliandarum de religione controuersiarum causa, in hunc locum conuenisse: idque maxime factum fuisse, diligenti opera & studio Francisci & Caroli fratrũ Regum Christianissimorum: qui, apud Pontifices Maximos, Cæsarem, Regem catholicum, & ceteros Principes Christianos, hanc Synodum œcumenicam primi promouerunt: non possumus non grauiter & moleste ferre, nostram Legationem in ea miserrima tempora, & angustias incidisse, vt cogamur, aut re infecta hinc abire, aut antiquam Regni nostri Maiestatem minuentibus adsentiri.

Quæ fuerit Regum Christianiss. præ ceteris, auctoritas, dignitas, & prærogatiua, norunt optime, qui Iuri Pontificio, & receptis in Ecclesia Romana Christianorum libris, operam dederunt. Sedisse autem, & incessisse, in Conciliis Ecclesiæ generalibus, antiquis & nouissimis, Regis Christianissimi Oratores, primos post Imperatoris, & ante Regis catholici, & omnium Regum Oratores, vos, qui Conciliorum volumina legistis, non potestis ignorare: qui vero Iurisconsulti sunt, negare huius antiquæ & perpetuæ possessionis, cum sint plura coniuncta, & necessario consequentia capita, vim, in vno factam, in omnibus factam videri. Videtis autem, Patres sapientissimi, & oculis cernitis, quod hodie fit, aduersus antiquissimam possessionem, cõtra omnia iura diuina & humana, pupillumque Regem Christianissimum fieri. Regis Catholici Oratores, in Conciliis generalibus, post Regis Christianissimi Oratores, semper sedebant & incedebant, Ecclesiasticarumque cæremoniarum honores accipiebant. Immutata hodie res est: & Regi Christianiss. prætogatiua adempta, non quidem à vobis, Patres sanctiss. qui potius Maiorum nostrorum exemplo, Regibus & Principib. auita regna & imperia, vnde essent inique expulsi, restitueretis, quam antiqua possessione quemquam moueri pateremini. Nihil item, hac in re factum est, ab optimo & religioso Principe, Rege Catholico: cui, cum Rege pupillo quanta sit amicitia, eaque cum affinitate coniuncta, nemo est, qui non intelligat.

Quem igitur accusamus? Adeo nos, Patres sanctiss. huius impietatis pudet, piget, tædet, & miseret: vt si fieri vlla ratione posset, auctoris nomini parceremus. Quis enim adeo impius pater, à quo, si filius panem petierit, nõ ei panem det? si piscem, piscem? si ouum, ouum? Et tamen, inuentus est omnium Christianorum pater sanctiss. *Pius Quartus*, qui pro pane, lapidem: pro pisce, serpentem: pro ouo, scorpium, filio primogenito dederit. Eramus nos Galli esurientes, & famelici, petentes à Beatiss. Papa, veluti communi patre, panem: non quidem naturalem, cuius non indiget Gallia, regio feracissima, sed illum diuinum Angelorum supersubstantialem, cuius in toto fere orbe Christiano tanta fuit primum caritas, deinde etiam nunc inopia, vt vix vnquam

post

post Christum natum, maior. Ille vero, non quidem panem, quem petebamus, dedit, sed scorpium, cuius cauda, vnico ictu, simul duos potentissimos Reges, Ecclesiam Gallicanam, & Theologorum Parisiensium doctrinam, feriret.

Sic enim existimat *Pius Quartus*, hoc suo discordiæ pomo, maximorum Regum bene compositam pacem, posse infringere: vnanimesque Reges, fratres, in prælia armare, ac mutando ordinem, & gradum, quo in concilio Constantiensi, & vltimo Lateranensi, sederunt Regum Christianissimorũ Oratores, omnibus manifestum facere, Papam esse supra Concilium. Sed errat toto cœlo: quoniam horum Regum amicitia altius radices egit: quam vt isto leuissimo vento euelli posse videatur. Nostra vero, de decretis concilii Constantiensis & Basiliensis, ea semper erit constans & perpetua sententia, quæ Conciliis Ecclesiæ vniuersalibus, inter omnes Càtholicos, esse debet.

Audierat, & didicerat Petrus: aut ex statere, in ore piscis inuento: aut cum rogaretur Pharisæus, cuius esset imago: aut, cum dictum est, quis me constituit iudicem? aut ex responso matri filiorum Zebedæi dato, non esse miscendum Psalterium cum cythara. Hic autem Petri successor, ausus est Regibus & Principibus, non solum nouos honores & prærogatiuas tribuere, & præscribere: sed etiam, veteres suo nutu & voluntate, mutare.

Magna fuit quidem, iure diuino, gentium, & ciuili, habita ratio filii primogeniti: qui nõ solum viuo patre, inter fratres, semper primum & præcipuum honoris gradum teneret: sed etiam, patre defuncto, nonnunquam hereditatis paternæ maiorem partem cerneret. Hic autem *Pius Quartus*, cum Dei locum in terris tenet, non existimat Christianiss. Regem, Ecclesiæ Catholicæ primogenitum filium, vlla in re præferendum fratribus Regibus, qui longo post illum tempore, Ecclesiæ Catholicæ nati sunt.

Fuit certe Regis Salomonis, & quorundam Iudææ Regũ, magna impietas, & grauissima scelera: Verũ noluit Dominus, propter Dauidis memoriam, & egregia eius in Ecclesiam merita, quamdiu Salomõ vixit, de regni paterni amplitudine, dignitate,

aucto-

auctoritate, quidquam detrahere: neque duas illas Tribus, quibus Reges Iudææ imperabant, omnino perdere. *Pius* autẽ *Quartus*, nulla habita ratione meritorum in Ecclesiam Romanam, *Pipini, Caroli Magni, D. Ludouici*, & aliorum Regum, qui Romanum Pontificem vrbe profugum & exulem, in suam sedem & dignitatem restituerunt, carcere detrusum exeruerunt, & Romam obsidione liberarunt: qui omnem, quem habet Ecclesia Romana reditum, & multo maiorem quam nunc possidet, munifice & tam large donarunt: quodque intolerabile est, hoc tempore, quo Regina Christianissimi pupilli Regis mater in periculum adduxit tanti Regni Imperium, ob hanc solum causam, vt possit Ecclesiæ Romanæ auctoritatem in Gallia sartam tectam conseruare: iste, inquam, Pius Quartus, priscam Regibus prærogatiuam & honorem, quæ semper fuerunt Regibus charissima pignora, suo decreto abstulit.

Noluit Dominus Deus prius iudicare, quam descendisset & vidisset. Prohibent Pontificum & Imperatorum constitutiones, Iureconsultorumque responsa, quemquam, indicta causa, condemnare. Hic autem Pius, contemptis omnibus legibus diuinis & humanis, non solum de plano, aut per libellum, sed etiam sine vlla omnino cognitione, Regem condemnat.

Maledictus (inquit Dominus) execratus, infelix, infaustus, aut, si quod aliud vocabulum lingua Latina habeat, quod Hebraici nominis vim & proprietatem significet, qui mouet limitem proximi sui: & dicet omnis populus, Amen. Magna fuit, etiam inter Barbaros homines, reuerentia longissimæ possessionis, quæ semper vim constituti, Iurisque legitimi, auctoritatem habuit. Hic autem *Pius*, mutare sedes & antiquas possessiones, deque illis possessores deiicere, nihilum quiddam esse putat.

Sæpius Deus, per maiores & minores Prophetas, commendauit Principibus, & iudicibus, pupillorum, & viduarum causam: nihilque est, in toto Iure ciuili, in quo, tanta ius dicentis religio desideretur, quam in condemnando pupillo. Noluerunt Paulus, sanctissimaque Ecclesiæ decreta, quemquam excommunicari, nisi, ob magnam, in grauissimo delicto, contumaciã.

Absti-

Abstinuerunt prisci Patres, à quibus suis decretis faciendis: interea, dum sedebat, & coacta erat sancta Synodus œcumenica, penes quam, semper fuit summa Ecclesiæ potestas: aut, si quid aliquando constituerant, id sacro probante Concilio, definiebant. Nihil est, quod Dominus noster Iesus Christus, magis curauerit, quā, vt suæ, & discipulorum actiones, essent omnibus manifestæ, perspectæ, & cognitæ. *Pius*, vt vno decreto, omnia omnino iura diuina & humana confunderet, vobis autem, Patres, in concilio vniuersali legitime cōgregatis, & qui vniuersam Ecclesiam merito repræsentatis, ausus est Romæ, de Regis pupilli Oratorum, qui ad vos tantum, & non ad illum, missi erant, prærogatiua, pronunciare, pupillumque Regem, non solum non auditum, sed ne vocatum quidem, condemnare.

Ac, vt nulla in hoc decreto iniquitas desiderari posse videretur, & nos Oratores, exequutio imparatos offenderet, nō solum cauit diligenter, ne quis nostrum de ea quidquam resciret: sed etiam, vos, Illustrissimi Legati, si contra faceretis, hoc est, si id feceritis, quod sine nefario scelere prætermittere non poteratis, excommunicauit. Videte rogamus, Patres sanctissimi, qui Theologiæ, Pontificio, & ciuili iuribus, operam dedistis, num verissime hic dici possit: *ista quidem vis est.*

Num hæc sunt Petri, Lini, Damasi, Gregorii, aliorumq; summorum Pontificum facta & gesta? Num *Pium Quartum*, pro summo Pontifice, & Petri successore, habere debeat Gallia: qui, vt antiquam dignitatem, & maiestatem pupilli Regis minueret, omnia diuina & humana iura peruertit? Num nobis, etsi ingratissimo animo, iusta tamen & necessaria causa, hinc vt ne discedendum sit: vbi nullum legibus locum, nullum antiquorum Conciliorum libertatis vestigium, Pius Quartus reliquit? Quid enim vobis iudicandum proponitur: aut à vobis iudicatum publicatur: quod nō prius Roma missum, & *Pio Quarto* placuerit? Quam putatis aliam esse causam, toties dilati, & procrastinati iudicii, petitionum nostrarum: quam, quod illa, in epistola D. Hadriani Sexti Pontificis Maximi, optime nouerat, curatis quantumuis membris, corpus sanum esse non posse, nisi etiam caput diligenter curetur? Huic autem capiti, quæ, quantaue immineant, quoniam

niam bona pars vestrum optime nouit, in aliud tempus dicendum reseruamus.

Hic igitur est *Pius Quartus*, ad quem solum, neminẽ præterea, nostra hæc Denuntiatio & Protestatio pertinet. Sedem Apostolicam, sanctos Pontifices, sanctam Ecclesiam, pro cuius dignitate augenda Maiores nostri sanguinem fuderunt, & adhuc hodie in Gallia acriter pugnatur, veneramur, reueremur, suspicimus. *Pij* autẽ *Quarti* imperium detrectamus: quæcunque sint eius iudicia, & sententiæ, reiicimus, respuimus, & contemnimus.

Et quanquam Patres Sanctissimi, vestra omnium religio, vita, & eruditio, magnæ semper fuit & erit apud nos auctoritatis: cũ tamen nihil à vobis, sed omnia magis Romæ, quam Tridenti, agantur: & quæ hic publicantur, magis *Pij Quarti* placita, quam Concilii Tridentini decreta, iure existimentur, denunciamus & protestamur: quæcunque in hoc conuentu, hoc est, solo Pii nutu, & voluntate decernuntur, & publicantur: ea neque Regem Christianiss. probaturum, neque Ecclesiam Gallicanam pro decreto œcumenici concilii habituram.

Interea, quotquot estis Galliæ Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Doctores, Theologi, Vos omnes hinc abire Rex Christianissimus iubet, redituros, vt primũ Deus Opt. Max. Ecclesiæ Catholicæ in generalibus Conciliis antiquam formam, & libertatem, restituerit: Regi autem Christianissimo suam dignitatem, & maiestatem.

PAV.

PAVLI III. PAPÆ
ad
CAROLVM V. IMP. AVG.
Epistola ἐπιτιμητική.

qua Cæsarem obiurgat, quod Germanis Principibus Synodum promiserit, & libertatem Religionis permiserit: ac ad eam Notæ doctissimæ & necessariæ.

Argumentum Epistolæ.

CVm Carolus V. Imp. Protestantibus Germaniæ Principibus Concilium, saltem nationale, promisisset, in quo de controuersiis religionis definiendis, & schismate Lutherano tandem tollendo, vel componendo definiretur: interea vero pacem vt omnes colerent, & æquo iure Protestantes cũ Pontificiis vterentur, decreuisset: quo quidem consilio nullum ad Germaniæ tranquillitatem vtilius inuenire potuit: Papa Paulus III. Farnesius, indignũ hoc facinus esse ratus Epistola hac, stylo Iac. Sadoleti Cardinalis exarata, sicut doctis videtur, in Cæsarem grauiter inuehitur, quod absq; autoritate sedis aut Pontificis Romani sit ausus Synodum polliceri, & potestatem de fidei rebus statuendi sibi vẽdicare: Lutheranis deniq; vel tantillum concedere: quæ Cæsaris personæ minime conueniant. Digna sane est epistola, quæ hodie comprimis legatur. Eodem enim spiritu ducitur nunc Papa Paulus V. & agmem eius: quod non expostulat modo de libertate Religionis concessa Protestantibus, sed instigat etiam monarchas, reges ac principes, ad pacta conuenta iurata rescindenda: quin & excommunicationis fulmine territat omnes dynastas qui iurisdictioni, & immensæ potestati sedis Romanæ se non protinus subÿciunt.

Quantum autem ponderis habeant argumenta Papæ: scholia siue notæ doctissimi cuiusdam viri margini appositæ demonstrabunt.

PAVLVS III. PONT. MAXIM.

Carolo V. Imperatori.

CHarissime fili: salutem & Apostolicam benedictionem. Ex edicto Maiestatis tuæ acta conuentus tui Spirensis cognouimus, de quibus cum nostram sententiam dissimulare paternus noster erga te amor non patitur, tum vero officii & muneris à Deo nobis per Christum commendati ratio in cura vniuersalis Ecclesiæ, vt apertis verbis te admoneamus, compellit.

Nec vero parum nos ad hoc mouet graue seueritatis diuinę in Heli sacerdotē exemplum, in quem liberos indulgentius tractantem, & ad eorum errata conniuentem extat seuera illa Dei in hæc verba sententia: Quia indigna nouerat agere suos filios, nec corripuit eos, idcirco, inquit Deus, non expietur iniquitas domus eius victimis & muneribus vsque in æternum. Hæc quidem Dei sententia fuit, quam statim liberorum quidem primum, deinde ipsius Heli repentina & violenta mors consecuta hincque posteritatis à sacerdotio repulsa verbum Domini verum & ratum fecerunt.

Si illud vindictæ Dei exemplum horret Sanctissimus pater, mirum cur tantopere de hoc vno Cæsaris delicto solicitus (si delictum nominari debet) tam securus in aliis filiorum suorum infinitis nequitijs torpeat. Vltus est Deus segnitiem Heli Sacerdotis, quod filios non castigauerat. 1. Sam. 2. 31. Filios Christiani pastoris iubet Apostolus Paulus 1. Tim. 3. 4. esse bene moratos, bene educatos in timore Domini. Filium habet Paulus noster Frenesius, & ex eo nepotes, (præter spurios, qui adhuc silicernio huic, & semiputrido cadaueri nascuntur) qualis est Petrus Aloysius: dicam quo nihil potest dici atrocius & tamen est verissimũ. Nũquam tale monstrum peperit Italia. Paule quid cessas? cum execrandæ filij tui libidines in cœlum ascenderint, cum fœtore simul ac fœditate ipsarum polluta sit terra, cum totus mundus vociferetur: nondum extrendæ seueritatis tempus esse putas? quid de eius auaritia? quid de rapacitate? quid de sæuitia dicam? Tametsi in his omnibus ita reliquos superauerit, vt te vno semper sit

per ſit inferior. Quid de nepotibus tuis, quid de tota familia orbis cum multa indignatione dudum loquitur? Si ob indulgentiam correptus fuit Heli, tune impune feres, quod ad tam horrenda filiorum tuorum flagitia non ſolum conniueas tacitus, ſed manum illis auxiliarem præbeas? approbes certe palam, & magna ex parte non diſſimules, te autore perpetrari? Non te hic Dei iudicium ſolicitat? Nullus metus animum tuum percellit? Sed de naturalibus filiis iam plus ſatis. Iactas te Chriſtianorum omnium eſſe patrem. In tam deplorata mundi corruptione, quis amplius taciturnitati eſt locus? Siles tamen & mundum ſciens ac videns in exitium ruere cum ſilentio pateris. Si Heli non pepercit Deus, quale tibi ſupplicium imminere cogitas? Propius etiamnum te vrgeo. qualis eſt ſedis tuæ ſtatus, quæ tibi inſtar familiæ eſſe debet? quid agunt tui vicarij? qualis in curia tua negotiatio exercetur? qualiter ſe clerus tuus gerit? quam mihi Sodomam reperies, vbi maior vnquam fuerit malorum omnium impunitas? magis perdita impudentia? licētia magis effrænis? Et nunc perinde ac ſi nihil eſſet domi, quod ageres, times, ne ob vnam hanc culpam immineat ira Dei tuo capiti, ſi concedi Proteſtantibus pacem, & iuris æquitatem tacitus ſinas, quoad de religione fuerit cognitum: Si Cæſarem, iniuſſu tuo, tam Concilium, quam legitimam cauſæ definitionem polliceri ſuſtineas.

Nos vero fili, cum te indigna quædam decreta in conuentu Spirēſi ex ipſis actis animaduertimus, indigniora vero deſignata eſſe, & talia, quod ſi propoſitum exitum, quod Deus auertat, conſequantur, non ſolum te in certiſſimū animę ſalutis periculū adductura, ſed Eccleſiæ paci atq; vnitati, cui ſuper omnia ſtudere debemus, maiorē, quam qua hactenus laborarint, perturbationem ſint allaturæ.

Hic mihi Athalia venit in mentem 2. Reg. 11. 14. Nam ſicut impudica illa canis, cum Regem Ioas cerneret in ſolio collocatum, quia tyrannidem ſuam videbat concidiſſe, clamabat, ſeditionem eſſe factam: ita putidum hoc ſcortum, cum tyrannidi ſuæ, quam Deo & hominib. inuitis, ſibi per ſummum nefas arrogat, vel minimum derogari videt, cœlum terræ miſcet, quaſi nihil amplius ſit in mundo ſaluum.

Noluimus ſane prætermittere, quin te á Deo nobis honore & amore primogeniti commendatum, his noſtris literis de

O quam multis, & quam inſignib. documentis compertum habet Cæſar paternum hunc amorem? quod niſi ſibi ab hoc idolo, tanquam à Deo ſiniſtro

tanto tuo & Ecclesiæ periculo admoneremus. Quãquam quidem te, non vt Heli liberos, admonendum duximus, quos deprauata voluntas & consuetudo peccandi indociles prope ad rectam disciplinam reddiderant, sed vt eum potius, qui multorum annorum cursu non abiit in consilium impiorum: quo maiorem in spem venimus, non frustra nos admonitione paterna esse apud te vsuros.

metuerint Christiani Principes, possent mira paternæ charitatis officia, quæ pro se quisque experti sunt, recensere. Sed quid Principum arcana excutere opus est? quasi vero non omnibus etiam infimis palam sit, qualem se hactenus patrem illis exhibuerit.

Omnia vero, fili, in eo sunt, si ab vnitate Ecclesiæ te abduci non sinas, á consuetudine maiorum tuorum religiosissimorum Principum non recedas, sed eundem, vt debes, morem in omnibus, quæ ad Ecclesiæ disciplinam, ordinem, & instituta pertinent, obserues, quem multos annos summa cum pietatis animi tui significatione edidisti.

Hic quidem olim speciosus erat fucus Romanæ meretricis, iactare Ecclesiæ vnitatem: sed iam cum longo quasi attritu obsoleuit, tum flatu oris Domini toties discussus, & claris scripturæ testimoniis abstersus ita fuit, vt ad colorandam eius deformitatem apud oculatos parum valeat. Christus enim vnicum sanctæ vnitatis vinculum est: ab eo qui descedit, violat turbatq́ vnitatem: extra eum vero, nonnisi sacrilega conspiratio est. Vocat nos ad se Romanus Antichristus prætextu vnitatis: & quicunque tyrannidis suæ iugo non sponte alligari se sustinent, eos schismaticos iudicat. Nos autem ex aduerso audimus Christi vocem: vbi erit corpus, illuc conuolabunt & aquilæ. Audimus Apostolum hortantem, vt consentiamus & simus concordis: sed in Christo. Audimus piam Hilarij admonitionem: Speciosum quidem nomen est pacis, & pulchra opinio vnitatis: sed quis ambigat eam solam Ecclesiæ & Euangeliorum vnitam esse pacem, quæ Christi est? Ostendat ergo à parte sua Christum Frenesius, & vnitatem Ecclesiæ penes se esse probabit. Sed cum adhærere illi non possimus, nisi Christum abnegando, qui ab eo dissilit, non facit ab Ecclesia discessionem, sed veram Ecclesiam ab adulterina & fictitia discernit.

Is vero est eiusmodi, vt quoties de his, quæ ad religionem pertinent, disceptatur, ad sedem Apostolicam omne iudicium semper referatur, nihil illa inconsulta statuatur. Tu vero nunc, fili, cum vel de concilio generali, tanquam de remedio omnium opportunissimo afflictis Ecclesiæ rebus, & ipsius in primis Germaniæ, mentionem facis, vel de nationali, cuius etiã meministi, vel de futuro ad proximum Autumnũ Imperiali cõuentu, in quo de religione ceterisq; rebus, quæ ad illã pertinẽt, tractare promittis, ita agis, ita statuis, vt supprimas eius nomen vbique, cui diuina & humana iura, approbante tot seculorum consensu

En ordo, en disciplina, en Christianismi perfectio ex Frenesii definitione, si illibata sedis suæ tyrannis maneat. valeant alia: nam præ hac vna nihili omnia reputat. Iam ergo Helenam agnoscimus, pro qua depugnat, simul causam timoris illius agnoscimus, de quo initio locutus est. Non enim ruinam solio suo tantũ impendere præuidet, sed sedem illam abominationis iã collabi cernit, si pigrescat. Hoc si illi detur, vt securus pro suo more, in tranquilla possessione suæ tyrannidis lasciuiat, hoc vno contentus erit, & tanquã rite composito Ecclesiæ statu, sibi & alijs benedicet. Ergo vtcunq; Romæ nihilo minor sit scelerum omnium colluuies, quam in ipsis inferis, vtcunque passim Sanctus ille Papalis clerus, laxis habenis, porruptis legibus omnib. abiecta omni honestatis cura ad quamlibet impietatem se prostituat, vtcunque totus orbis horrendum in modum sit corruptus, bene ordinata erit disciplina, si modo nihil contra sedis Romanæ maiestatem quis audeat.

supremam cum cogendi concilij, tum statuendi de his,

Grande scilicet piaculum, quod de congregando concilio cũ ageretur, suppressum est Papæ nomen. Quasi vero Syluestro autoritatem cõuocandæ Nicenæ Synodi detulerit Constantinus, ac non eam iure suo, pro imperatoria potestate coëgerit. Quasi non etiã ipsi Syluestro edixerit, vt veniret. Quasi vel arbitrium vel nutum Romani Episcopi expectauerit olim Theodosius, in Synodo Aquileiensi cogenda, cui præfuit Ambrosius. Ecce habetur in Italia concilium vniuersale, cui non adest Romanus Episcopus, nec quisquam eius nomine, imo nulla eius in actis concilij fit mentio. Sed condonandum est Frenesio, si personam agit impuræ illius Iesabel, cum similem habeat causam. Quemadmodum enim fremebat illa, quod Achab pro regia

regia potestate populum conuocasset, vt statueretur semel, Deusne an Baal inuocandus foret, ita hæc bestia quasi rebus omnibus perditis, grande nefas admissum esse conclamat, quia Cæsar sibi curæ fore receperit, vt concilium cogeretur. Atqui hanc sibi soli potestatem iure diuino & humano competere allegat. Facile quidem iactare est, sed probatio quæritur. Quid enim hoc mendacio impudentius? Diuini iuris, quam omnino syllabam proferet, nisi se forte faciat Deum? Sed humanum forte illi suffragatur. Nihilo magis. quis enim primam synodum Nicenam, quis Ephesinam, quis Constantinopolitanam, quis Chalcedonensem coëgit? Et ne in colligendo numero sim longior, quis totis quingentis annis synodos vniuersales, quæ multæ habitæ fuerunt inter id tempus, congregauit, præter vnum Cæsarem? At forte id fiebat, interposita Pontificis autoritate: imo ne consensu quidem. Vbi enim ostendet Frenesius, expectatum aliquando fuisse Papæ nutum in hac re, aut petitum ab eo consilium? Atqui non tantum nunc sibi arrogat hoc priuilegium, ne quid se inconsulto tentet Imperator, sed vult omnia simul posse & agere. Id si vult impetrare, omnia conciliorum acta, omnes veteres historias aboleat necesse est. Neq; enim illic Papa Imperatori edicit, sed Imperator Episcopis omnibus. Et cum Episcopi loquuntur, non Romani Episcopi mandato aut nutu se vocatos sed Imperiali edicto testantur. Olim quidem in procuranda synodo Chalcedonensi partes suas interposuit Leo. Sed qualiter? Iubendone vel decernendo? Nihil tale in eius epistolis habetur, quæ in promptu extant, sed Cæsarem suppliciter rogando, vt pro more Episcopos omnes aduocaret. Ergo quod tunc precibus fieri orabat Leo, Frenesius hodie factum esse tam grauiter accusat, vt speciem propemodum faciat apostasiæ. Patrocinium ergo fictitiæ suæ potestatis aliunde quærat, quam à Deo & hominibus.

& ordinandi, quæ ad Ecclesiæ vnitatem vtilitatemque spectant, autoritatem dederunt. At vero neq; hæc sola sunt, in quibus conquerimur Ecclesiæ & maiorum abs te morem atq; institutiones diuinas minime seruatas fuisse: sed alia præterea, & ea quidem non pauca, peracti iam conuétus decreta legantur,

Cum tale quiddam aliquando captaret in concilio Carthaginensi, fortiter, vt par erat, Aphricani Episcopi tam improbæ ambitioni restiterunt. Cum obtenderet prærogatiuam in alias Ecclesias. Nicenæ synodi decreto sibi permissam esse, non habuerunt fidem: Sed constantinopolim, & in alias vrbes Græcas miserunt, vt veritatem inuestigarent.

Comper-

quæ maxime & pietatem lædunt, & omnem legum ordinem confundunt.

Compertum tandem fuit, acta concilij à sanctissimo patre corrupta fuisse, vt illis ad erigendam suam tyrannidẽ abuteretur. Saltem quæ proferebantur ex eius Archiuis exemplaria, cum veris & certis non congruebant. Ita repudiatum fuit eius postulatum, non absq; manifesto falsitatis probro. Atqui iura diuina & humana hic quoque sibi suffragari clamat. Quis vnquã Deus, obsecro, Papam constituit causarum omnium ad Ecclesiam vel fidem pertinentium cognitorem, arbitrum, & iudicem? Quas etiam hominum leges aut quæ placita hac de re ostendet? Dicit quidem Ambrosius fidei causas debere in templo coram plebe tractari: & tunc de summo nostræ fidei capite agebatur. Non dicit coram Papæ tribunali. Dicit, fateor, iudicandas esse à sacerdotibus: sed nequaquam vni Papæ defert iudicium. Alioqui grauiter peccasset, cum ad cognoscendam maximam causam, Aquileiensi concilio non interfuit modo, sed etiam præsedit. Inuehatur Frenesius in Ambrosium, quod concilium, cum vocandum ab Imperatore procurasset, habere ausus est, & quidem absente Romano Episcopo, illicque de Christi diuinitate, quid sentiendum foret, statuere. Vbi tunc erant humana iura, quibus gloriatur Frenesius, cum in Italia Synodus vniuersalis de summa religionis tractaret, vocato quidem Romano Episcopo, sed nemine eius loco comparente? quid cum à Melchiade Romano etiam Episcopo deuoluta est causa maximi momenti ad Episcopum Arelatensem? Litigabat Donatus à casis nigris cum Cæciliano. Non erat ciuile negotium, sed causa Ecclesiastica, & quæ non leue caput Christianæ doctrinæ continebat, nempe de Ecclesiæ vnitate, & communione sanctorũ. Constantinus Magnus Melchiadem primo iudicem tulerat: cum ille pronunciasset, prouocante Donato, cognitio ad Arelatensem Episcopum delata fuit, vt testis est Augustinus. Cur non clamitabat Melchiades, omnia peram confundi, quod sibi eriperetur summa iudicandi potestas? Restat ergo vt hoc persuadeat Frenesius ijs, qui sine difficultate pro oraculo recipiunt, Cepham esse caput.

Nam quod laicos de rebus spiritualibus iudicare vis posse: neque laicos modo, sed nullo discrimine laicos,

Quasi vero pro libidine cuiusque statui voluerit Imperator, ac non potius legitima vltro citroque habita disceptatione, ex sacrosancto Dei verbo sumi definitionem. Quasi etiam laicis mandarit istas partes, vt definiant ipsi, ac non potius, vt sciscant, quod

ex Dei

ex Dei verbo constiterit. Hoc si nouum est Frenesio, valde est omnis antiquitatis imperitus.

& damnatarum hæresium assertores:

Nempe si huic Frenesii iudicio stetur, ne concilio quidẽ opus fuerit. Res enim iam expedita hoc modo erit, si indicta causa iam censeantur damnatarum hæresium assertores, qui se ad reddendã doctrinæ suæ rationem offerunt. Neque vero imprudenter agit sanctissimus pater. Quid enim optabilius quã hostes suos vna voce iugulare? Sed hoc est incommodi, quod qui tam atrociter hic damnantur, præclare & strenue ab hac calumnia se purgare: Papam vero ipsum interim non modo impietatis ac scelerum omnium reum peragunt, sed Antichristum esse conuincunt, omnium impiorum caput.

quod de bonis Ecclesiasticis, & de eorum futuris controuersiis statuis, quod eos,

Quid, annon Spiritus sancti elogio prædicatur sanctus Rex Ioas, quod 2.Re.8.10. cum oblationes ingurgitari videret à sacerdotibus, scribam suum exigendis rationibus præfecerit? Quid ergo piaculi erit, si hodie eius exemplo Christiani Principes, dum à Papæ gurgitibus Ecclesiæ opes vorari, & per summam nequitiam turpiter dissipari vident, ad vindicandum hoc sacrilegium manus admoueant? Hoc primũ quæritur, in quem vsum destinata sint Ecclesiæ bona: deinde quorum sit dispensatio: tertio, si vitium sit in ordinaria dispensatione, quod seuera correctione opus habeat, à quibus adhibendum sit remedium. De hoc postremo cogniturũ se Imperator de Ordinum sententia promisit. Nunc iudicare promtum est, quam tumultuandi causam habeat Frenesius.

qui extra Ecclesiam sunt, & per edictum tuum pridem damnati, honorib. pristinis in iudiciis ac tribunalib. restituis, atq; hoc pro tua & Imperatoria potestate facis,

Subaudiendum est Epitheton: sunt enim Protestantes extra Ecclesiã, sed papalem. Daminati, sed causa incognita. Si autem verum est, esse veram Ecclesiæ vnitatem, vbi est sincera Christi veritas, vbi integer & doctrinæ & animorum in Christo consensus cum omnibus piis: ab Ecclesia certe alieni non sunt Protestantes.

minime approbantibus ceteris, qui antiqua & sancta obedientia perseuerant.

Imo quis vel Princeps vel priuatus, si modo scintillam Christiani Zeli habeat, non cupiat quam primum rebus

ita

ita misere collapsis succurri? Quis autē non intelligat, frustra à Papa quicquā expectari opis? Suam ergo impietatem prodat oportet, qui tam necessarium remedium à Cæsare quæsitum esse ægre ferat. Sed bene habet, quod se de conductis quibusdam mancipijs loqui continuo post declarat.

Quid tandem horum cum diuinis institutionibus ac legibus, quibus perpetuo Ecclesia est gubernata, conuenit? Quæ omnem potius disciplinam, omnem ordinem, sine quo nullus cœtus hominū regi potest, ab Ecclesia prorsus tollunt. Hæc vero quo magis ab omni recta disciplina, & consuetudine maiorum sunt aliena, eo minus persuadere possumus, è tuo ipsius sensu illa vnquam emanare potuisse, sed eandem pietatem animo tuo suppressam quidem ad tempus malorum consilijs, qui huic sanctæ sedi sunt rebelles, putamus: qui si à te impetrare non potuerunt, vt, quæ contra eam volebant facere, probares, saltem vt eiusmodi edictis aliquam abalienati animi tui significationem dares, abs te cōtendisse facile possumus existimare: impetrare vero tanto magis debemus, quanto id tibi & Ecclesiæ, nisi cito ad te ipsum redeas, maiori damno & detrimento fore, nobis maxime est persuasum: quod non possumus non in dies magis magisque timere, quo attētius consideramus, quibus cum amicitiam inieris. Si enim, vt inquit Apostolus, corrumpunt bonos mores colloquia praua, quanto grauius, si quis cum malis coniuncta cōsilia & fœdera habeat, hoc de eo timendum erit. Quanquam quidem non dubitamus, sub specie pietatis, vtilitatis, honoris ad hęc eos te solicitasse: sed nullum prorsus est tam malū cōsiliū, quod non specioso aliquo eiusmodi nomine quasi veste

Ego vero scire velim, qui tandem istorum pugnet cum Christi institutis, & recto Ecclesiæ ordine. Audio quidem hoc dici, sed à quo? Si diabolus pater est mendacij, quis eius vicario fidem habebit?

Miram vero metamorphosim. Tā enim religiosus cœpit esse Papa, vt datam Protestantib. pacem esse cum audit, totus horreat. Sed mirum est ex aduerso, eum secure pacisci cum meretricib. nec cōtaminationē & lenocinij precio horrere, annua pēsione decidere cū Iudæis, vt impune nō modo Christianā religionē despiciāt: sed fœnerādo

preciosa se ornet. Tu vero fili, interroga potius patrem tuum, & annunciabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi. Si enim omnes vna voce te ad vnitatem Ecclesiæ, atque honorem & obedientiam huius sanctæ sedis hortantur, atque iam pridem factis ipsis sunt hortati: si vero sanctissimum quemque, & in diuinis legibus peritissimũ consules, grauissimas in eos diuinæ iræ vindictas proferēt, qui quacunque de causa, quacunque pietatis specie adducti,

palam latrocinentur: denique nec Turcas auersari. Sed in eo potissimum elucet eius sanctimonia, quod cum Apostolo Paulo timet, ne bonos mores colloquia praua corrumpant. Quid tibi cum hac Sancti Apostoli voce, scelestе apostata, imo apostasiæ princeps? qui cum dies in machinandis proditionib. in fraudibus excudendis, in bellis conflandis, in excogitandis nouis rapinarum generibus, in moliendo innocentium exitio, in destruenda Ecclesia, in dissipanda religione cum nequissimis consultoribus tuis consumas, reliquum tempus, vel cum Epicureis suauiter te oblectas, vel in medio scortorum grege te volutas instar porci, nec aliud audis vel loqueris, quam quod vel execrandam impietatem spiret, vel sua obscœnitate incitet istam tuam effœtam libidinem, quæ tamen nondum prurire desinit.

summi sacerdotis munera sibi sumere voluerunt: est vero ea maxima, quam rebelles adducere solent, cum Principes, vt eius cathedram ascendant, atque vt ius & autoritatem cognoscendi causas religionis & iudicandi sibi assumant, hortantur.

Arrigamus aures, neque enim videtur iam de nihilo conqueri. Fateor sane, tanti esse Ecclesiæ ordinē coram Deo, vt qui inuolat in alienum munus, non euadat suæ temeritatis pœnam.

Sacerdotum enim negligentia pro stimulo ad impellẽdum eos vtuntur, vt Ecclesiæ curam in componendis religionis cõtrouersiis, & in ordinandis Ecclesiæ rebus, in se suscipiant. Quis enim hoc factum non dignum summa laude iudicet?

Si qua ratio foret conseruandæ eius tyrannidis, pro qua nunc decertat Frenesius, hæc in primis firma est præ aliȷs, & valida, ne quis corrigendis sacerdotum vitiȷs se interponere audeat. Ergo, si Frenesio concedimus, esse hanc illicitam vsurpationem, esse grande sacrilegium, cum Principes,

torpen

Nemo quidem, si factum tantum respiciatur. Sed vt in domo bene instituta, in qua diuisa officia & munera non licet vnicuique pro suo arbitratu omnia exercere, etiamsi singula in suo genere sint præclara: quod qui tentant, quamuis bono id animo faciant, à patre tamen familias merito reprehenduntur, quippe qui suo intempestiuo zelo, quod pulcherrimum est in domo,

torpente Papa, toto clero oscitãte, pereunti Ecclesiæ subuenire conantur, actum est. Quid ergo habet Cæsar, quo tantum crimen diluat? Primum, tametsi non est cuiuslibet, se ad repurganda Ecclesiæ mala ingerere, & restituendum eius statum, quo tamen iure Christianis Principib. hoc negabitur? Excipit Frenesius, quia sic agendo cathedram sacerdotalem inuadunt. At sanctis Patribus semper aliter visum est, quibus nihil fuit antiquius, quam vt principum autoritate in ordinem redigerentur mali & improbi Sacerdotes, indigni autem honoris gradu abdicarentur. In hoc itaque hallucinatur Frenesius, quia inter ista duo quantum intersit, non videt, Cathedram occupare, & rite collocare iustos sessores, qui sedem ratione iureque gubernent.

nempe ipsum ordinem, sine quo nulla domus diutius stare potest, quantum quidem in ipsis est, tollunt, & prudentiæ eius, qui illum instituit, summam iniuriam faciunt:

Hoc concedunt omnes, non perturbandum esse in Ecclesia ordinem. Tota igitur quæstio in ordinis definitione posita est. Requirit ordo, vt sint distinctæ functiones, & hoc cõcedimus: verum coniunctioni distinctio non repugnat. Nec quicquam obstat, quominus, qui diuersis officiis præsunt, communibus tamen studiis multa simul procurent, quominus voluant coniunctim vnum lapidem, denique quominus alter, pro necessitate præsenti, in alterius vicem quandoque subeat.

Sic prorsus in Ecclesia Christi, quæ est domus Dei, in qua omnia munera sunt dispertita & singula singulis ita distributa, vt inferiores superiorum officiis non fungantur, eo minus licet ordinem perturbare, quo

Det ergo nobis Frenesius ordinatum ex Christi voluntate Ecclesiæ statum: & libenter dabimus, qui minimo digito attingere eum ausit, vt conuellat, impia audacia id tentare. Sed cum procul absit barbara ista, vel potius beluina Papatus confusio à sanctæ

maiore prudentia eſt ordinata Eccleſia, quā de vlla domo cogitari poſſit. Eſtque ea ſemper grauiſſima in Dei prudentiam ac ſapientiam iniuria. At non omnes hoc vident, ſed nec te etiā ſatis adhuc videre arbitramur, Cæſar, quantum iniuriȩ inferas diuinæ prouidentiæ, in hac domo Dei, in qua ſupremum munus ſacerdotibus eſt commendatum, cum horum tibi partes & honorem ſumis.

Chriſti regula, faceſſat hinc prouidētiæ diuinæ titulus, cui grauis irrogatur iniuria, cum ad fucandam à Chriſti regno prorſus tam alienam tyrannidē perperam & impudenter obtenditur.

Nec vero vidit Ozas, cū honoris cauſa arcā Dei curru boum vectam proſequēs, illis calcitrātibus, manu admota, dum ruinam timet, ſuſtētare voluit. Quis vero hominum hoc factum improbare auſus eſſet? vel quis nō potius illud ſummopere laudaret, quod ſacerdotibus abſentib. in præſenti periculo ruinæ ipſius arcæ, quā bos laſciuiens (vt inquit ſcriptura) iam inclinauerat, manū, vt eam ſuſtineret, admouerit. Nemo quidē hoc nō vt pie factum laudaſſet, niſi ſeueritate vindictæ, minime id ſibi gratū fuiſſe oſtēdiſſet Deus, cuius quidem vltio Ozam ſtatim è vita ſuſtulit, nullā aliam ob cauſam, ſcriptura teſtante, niſi quia temere, ꝙ ad ſacerdotum & Leuitarum officiū pertinebat, ſupplere ipſe auſus eſſet. Tantum vero peccatum in hoc facto fuiſſe, quis vnquam cogitaſſet? ſed ex hoc exemplo Deus nos admonere voluit, ne

Punitus eſt Oſas, quod manū arcæ Dei admouere auſus fuerit, bono quidem, ſed inconſiderato Zelo, nēpe cum partes Sacerdotū arriperet, præſto illis aſtantibus, & ad officium paratis. Vbi nūc ex toto papali clero ſacerdos vnus eſt, qui arcæ Domini ſuſtinendæ ſit intentus? Punitus eſt Oſas, quod & præter ſuā vocationem, & aduerſus clarā Dei prohibitionem ad tactū arcæ perruperit. Vbi Dei interdictum? vbi finita vocationis ratio, quæ Imperatorē ab omni Eccleſiæ cura arceat? Atqui reges omnes vocat Ieſaias ad eā ſuſcipiendā. Punitus eſt Oſas, ꝙ ante tempus importuno feruore ſe ad ſuſtinendā arcam ingeſſerit. At quā diſſimilis erit cauſa, ſi arcā Domini humi proiectā, demerſam in luto, impiorū probris expoſitā erigere conetur Dauid, & ſacerdotes ad eam in ſua ſede collocandā edicto ſuo vocet? Tu vero monſtrū qualiter denūciare alijs audes, vt manus remoueant ab arca, qui eā importuno tuo roſtro proſtratā pedibus ignominioſe cōculcas? Licebitne tibi arcā Domini ſordib. implere, profanare

in eundẽ diuinæ iræ laqueũ incidamus. De quo nũc, fili, te admonere voluimus, ne fallacib. illorũ persuasionib. adductus, qui in ore semper habẽt reformationẽ Ecclesiæ, in tanto, nõ boum, sed sacerdotum quasi lasciuientiam cœtu, quorũ illa humeris sustentatur, tu manus temere admoueas. Est enim hoc sacerdotum Dei munus atque officium.

nare cũ summa contumelia, prostituere ad quoduis Satanæ ludibriũ, lacerare in frusta, eius sanctitati insultare & principib. simul ac vniuerso Christiano populo ad eã repurgandã, coaptandã, reparãdã accedere nefas erit?

In eundẽ v. laqueum inciderũt Dathan & Abyrõ atq; Core, qui ægre ferẽtes in sancto populo vnũ præ ceteris dignitate sũmi sacerdotii fulgere, se tã Mosi, quã Aaroni opposuere, quũ dicerẽt: sufficit vobis, q̃ omnis multitudo sanctorũ est, & in ipsis est Dominus, q̃d eleuamini super populum? Licet vero hæc verba cõtra ambos dicta videãtur, tamen Mose interprete didicimus, omnis eorũ indignationis causã, summũ sacerdotiũ Aaronis fuisse. Nõ n. vbi omnis multitudo est sãcta, virũ aliquẽ eminere dignitate æquũ esse cẽsebant. Quam v. grauiter hæc res displicuerit Deo, insigne in eos diuini iudicii & seueritatis exemplũ ostẽdit, quos terra dehiscẽs cũ vniuersa supellectili & omnibus bonis viuos absorpsit. Hæc v. vetera nunc recito, quia (vt inq̃t Apost.) in figura cõtingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines seculorum deuenerunt, vt discant omnes,

Quid nõ audeat hic phreneticus, quẽ Mosi & Aaroni se cõferre nihil pudet? Dathan, inquit, & Chore & Abiron, q̃ aduersus Domini sacerdotes murmurassẽt, horrẽdo exẽplo perierũt. Sed quid tu simile cũ Mose habes? tune Domini sacerdos, ô sacrorũ omniũ profligator? Nõ modo tumultuatus est Iehu in sacerdotes Baal, sed armata manu eos persecutus, oẽs in tẽplo idoli sui occidit. Præclarũ facinus, & q̃ Dei testimonio cõmendatur. Voce tantũ Mosen vulnerãt Dathan, Chore & Abirõ, & eos terra viuos absorbet. Tu igitur alius sis, vt sacerdotij iure & honore à te violãdo Principes deterreas. Vmbræ seruiebat Aaronis sacerdotiũ, sed cõtinebat nõ inanẽ veritatis figurã, & sacrosancta erat Dei autoritate fundatũ. Quid autẽ præter laruã nobis ostentat Papa? quo fundamẽto suffulta est eius tyrannis? quo deniq; autore à summo vsq; ad minimũ ad sacrilegã suã functionẽ, magico potius quã Christiano ritu initiãtur? Etiã si crepare debeãt, nulla scripturæ syllaba vnq̃ hoc, quo superbiũt, sacerdotij genus approbabũt.

ſi in ſacerdotio, quod deſeruiebat tabernaculo & vmbræ, quodque vna cum tabernaculo abolendum diuina prouidentia ſtatuerat, tantam curam Deus oſtenderit, vt ne minimã quidem in ea mutationem ab humano ingenio inultam permiſerit, quanto maior reuerentia tribuenda ſit illis ſacerdotibus, qui non amplius ſeruiunt typo & vmbræ abolendis, ſed ipſi vero tabernaculo, quod nũquam transferetur: quantoue minus de mutatione vel minimæ ordinationis, quæ ad eos pertinet, cogitare debeant?

Peruerſa quidem conſuetudo nihil aliud eſt, quam erroris vetuſtas. Sed quis pro Eccleſiæ conſuetudine hoc recipiat, vt qui præſulum nomen habẽt, qualeſcunque ſint, quicquid agant, etiamſi nihil minus ſint, quam quod vocantur, pro libidine graſſentur ad deuorandum Chriſti gregem: & ſi nemo eorum latrocinio opponere audeat? In qua, obſecro, Barbaria valeret hæc conſuetudo, vt ſolo titulo protecti latrones impune perderent, mactarent, vaſtarent, diſſiparent omnia: quod ſi quis muſſitaret de cohibenda ipſorum truculentia, ſacra profanis miſceri clamitarent.

Quanto denique grauius, & magis intolerabili ſuperbia putabimus eos in diuinam prouidentiam peccare, qui vel hanc confundere, vel ad ſe transferre poſtulant, vel alio modo de illa ſtatuere volunt, quam longa Eccleſiæ conſuetudo fundata in teſtimoniis ſcriptararum promittit & declarat? Quocunque vero modo, quacunque ſpecie pietatis propoſita hæc tenentur, radicem quidem mali ſuperbiam Deo ſemper odioſam eſſe, non eſt dubium.

Id quod maxime declarat Oziæ regis exemplum, in quo ſimul & radicem huius mali, & grauem illius vindictam ſcriptura nobis exprimit. Hic autẽ rex alias laudatiſſimus, idque teſtimonio ſcripturæ, in hoc tãtum ſuperbiæ arguitur, quod incenſum ad altare thymiamatis adolere voluerit. Quis vero hanc voluntatem non piam

Vbi liquido conſtiterint hæc tria: non neceſſitate, ſed ſuperbia Cæſarem reformationem Eccleſiæ ſuſcepiſſe: deinde hanc ita commendatam eſſe ſacerdotibus, vt ab ea prohibeantur, quicunque vnctas manus non habẽt, ſicut ab adolendo thymiamate: poſtremo ſacerdotium Papale inſtar Leuitici à Deo habere originem, præſenti cauſæ forſan conueniet Vziæ exemplum. Rurſus ſi nihil iſtorum conſtat,

quin

potius, quam ſuperbam iudicaſſet? Sed Spiritus Dei in ſcriptura, cum ad huius facti narrationem peruenit, eleuatum (inquit) eſt cor Oziæ. In quo vero eleuatum? nempe, quod alieno miniſterio fungi voluit, de quo poſtquã á ſacerdotibus admonitus, nec illis paruiſſet, ſtatim á Deo lepra eſt percuſſus. Hæc vero nunc, chariſſime fili, recẽſemus, vt intelligas, ſi ſuperbum fuit Oziæ factum, in adolendo incenſo ſuper altare thymiamatis, quanto ſuperbius eſſe hoc tantum adolere incenſum ſuper altare corporis Chriſti, ceteraq; quæ religionem ipſam comitantur, perſequi? Quid autem, annon putas hoc incenſum eſſe coram Deo, leges de religione ſancire? Eſt quidem incenſum, idque omnium Deo gratiſſimum (nullum enim odorem tibi perſuade Deum gratius ſuſcipere) ſed non eſt tuum munus illud Imperator, eſt ſacerdotum Domini.

quin potius, ſi euincere promtum eſt, neceſſario ad id cogi Cæſarem, niſi ad Eccleſiæ exitium ſciens ac videns conniuere velit: nec quicquam magis eſſe proprium eius perſonæ, & ſacerdotium papale non niſi ſacrilegio & anathemate dedicatum eſſe, quid Vziæ exemplum 2. Chron. 26. 19. Freneſio ſuffragatur? Oſtendat, inquam, conuocandi concilij, & reſtituendæ in verũ ſtatum Eccleſiæ ſolis ſacerdotibus, ſicut adolendi thymiamatis attributã eſſe poteſtatem, Regibus autem vetitam. Atqui veritas palam reclamat. Oſtendat Cæſarem fruſtra inſoleſcere, & rebus bene compoſitis, ambitione tantum & prauo nouitatis ſtudio laſciuire. Oſtendat ipſum, deiecto legitimo ſacerdote, altare ſibi interdictum per vim occupare. Sed vbi ſacerdos, qui ad officium peragendum ſit accinctus? quibus cancellis circumſcripta eſt pia hæc ſolicitudo, quam Cæſar recipit in ſe, vt perrumpere non liceat? Quæ temeritas aut libido in adgrediẽdo opere, à quo ceſſare ſumma eſſet non tantum ſocordia, ſed etiam perfidia? Quanquam operæpretium eſt expendere, quam argutus ſit ratiocinator Freneſii ſcriba. Sacrificium eſt, inquit, leges de religione ſancire, & quidem Deo gratiſſimum. Ergo à Cæſaris perſona hoc abhorret. Hoc vero eſt non argumentari, ſed porcorum more omnia turbare. Quid enim erogare eleemoſynas? quid impendere ſe publicis commodis? quid populos in puro Dei cultu continere? quid denique ſeipſum dedicare Deo? Non ſunt hæc etiam ſacrificia, non ſuauis gratique odoris? Et tamen piorum omnium communia ſunt. Quid præterea blateras, placere Deo vt leges de religione ſanciantur, quod à diabo-

lica audacia proficisci scriptura clamat? Nam & Cæsaris & omnium mortalium est, vnum audire legislatorem, quod ad spirituale animæ regimen spectat, & quascunque ille sciuerit leges, ratas sine exceptione habere.

est nostrum inprimis, quibus Deus potestatem ligandi & soluendi dedit. Vide vero, in quam tum partem templi intras, cum hodie tibi ministerium sumis: non quidem in atrium, aut in sancta, vt Ozias, non enim tantum sanctum est hoc factũ, sed sanctissimum. Cum ergo prudẽtia tua huc tu penetras, & in sancta sanctorum, atque ipsum corpus Christi penetras, eius officium tibi arrogans: nec te excusat, quod sanctum sit factum, vel quod non perpetuas, sed ad tempus, hoc est, vsque ad futurum concilium duraturas leges laturum te esse dicas. Vt enim id per se pium sit, tamẽ in eo, cui Deus hoc ministerium non dedit, maxime est impium.

Non contentus communi sacerdotum prærogatiua, singulare fastigium conscendit. Nostrum, inquit, inprimis. Quo autem iure? quia data nobis est ligandi & soluendi potestas. Quid alijs? omnibus enim simul Apostolis dictũ est, quodcunq; ligaueritis. Quod omnibus Christus cõmunicat, tu prædatoria violentia tibi rapies? Tu Ecclesiam nudabis, vt eius te spolijs vestias?

Sumis enim iam tibi personam, quæ propria est Dei, cui solum de sacerdotibus iudicium relinquitur, quam ne ad tempus quidem cuiquam sumere licet. Dei enim vox est ad malos sacerdotes: Ego ipse (inquit super pastores) requiram gregem meum de manu illorum, quod vt suo tempore penitus facturus est Deus, ita si quis interim

Eximium sane priuilegium, vt impune ruant in omne scelerum genus sacerdotes, & soli Deo iudicium relinquatur. Quod si ita est, quorsum illa vetus disciplina cleri, quæ in chartis nunc extat, olim in Ecclesia locum habuit? Nam si iudicium in sacerdotes sumunt Episcopi, gigantum more Deũ à sede sua disturbare moliuntur. At Episcopis est permissum: quid, si Deus sibi hoc asseruit soli, tu ad sacerdotes trãsferendo nonne illos facis Deos? Hic quoq; acumen est mirabile. Requiram super pastores ego ipse, inquit Dominus. Ergo propria est Dei hæc cognitio, quam ne ad tempus quidem sumere cuiquã licet. Quid? non requiret etiam ipse Dominus sanguinem innoxium de manu homicidarum? Non furta, non rapinas, non iniurias quaslibet requiret? Nõ requi-

requiret ab impijs, quiquid malorũ perpetrauerint? Ergo secũdum cubiculariã hanc Frenesii Dialecticam tollantur è medio iudicia, facessant scelerum pœnæ. Soli enim Deo relinquendum est iudicium. Solius certe Dei iudicium est, non in sacerdotes modo, sed etiam infimos quosque. Sed cur dij vocantur Principes, nsi quia mandatum est illis iudicium?

quasi de manu eius præripere hoc tentauerit, is semper pro tali ausu grauissimas pœnas dedit. veluti cõtra nullo vnquam seculo intermisit certis quibusdam signis testari, illos maiorib. gratiis, tum interius tum exterius, & omni genere bonorũ dignos esse, qui augendo & ornãdo sacerdotum genus, Ecclesiæ suæ vnitatem ac principem sedem auxilio & gratia fouerunt.

Qui Frenesio hoc Angelus vel potius dæmon reuelauit? varijs enim ex causis cum proueniãt Dei iudicia, qui certam causam ex proprio capite definiet? Salomõ certe negat humano sensu discerni posse, quẽ amore vel odio prosequatur Deus, quia eadem accidant bonis & malis. Ex Dei verbo igitur definiendum erat. sed probe meminit Frenesius, cuius personam sustineat. Sic enim ante cum Christo egit Diabolus, cui seruit: Hæc omnia tibi dabo, si prostratus adoraueris me: Sic etiam antecessores eius: cum seruiebamus Reginæ cœli, affluebamus bonis omnibus. Sed iam audiamus, quæ ob sedis suæ cultum repensa præmia & quas ob contemtum pœnas irrogatas referat.

vt in Constantino Magno, in Theodosiis, in Carolo Magno accidisse videmus. Quibus nulli vnquam Christiani Imperatores vel diuinis gratiis, vel victoriis illustriores fuere. Contra vero Deus eos, qui sacerdotibus restitere, non solum passus est in omne genus turpitudinis labi: sed sæpe & insignibus quibusdam pœnis in testimonium diuinæ iræ suæ castigauit. Nec vero nunc de illis loquimur, qui Ecclesiam nascentem

Constantinum Magnum adducit, vt fictitiæ, quam iactat, donationis fidem nobis faciat. Adeo nihil eum pudet, vt nugas, quæ iam pueris sunt ludibrio Imperatori pro certis oraculis obtrudere nõ dubitet. Olim quidem magno supercilio hoc figmẽto garriebant stulti Canonistæ, sed iam talib. ineptijs desiit esse locus. Qua porro causa tam fidelẽ sedis suæ cultorẽ facit Theodosiũ? qui cũ Ambrosio singularẽ reuerẽtiam detulerit, ꝙ vnq̃ in precio habuerit sedẽ Romanam aut eius sessores, nunq̃ legitur. Mirũ certe ꝙ nõ & Traianũ addiderit.

adhuc extinguere sunt conati, Neronibus, Domitianis & eiusdem generis reliquis: sed de iis, qui illam persecuti sunt, iam adulta ætate, incipientem in Principes autoritatem sui muneris exercere, postquam constituta & confirmata est Petri sedes in oculis omniū Principum. Qui vero huius autoritati restitere, à Deo sic castigatos constat, vt manifeste appareat, quam grata sit ac semper fuerit Deo huius sedis obedientia, contra autem quam ingrata & odiosa in eandem inobedientia.

Caroli Magni victorias huic vni vel superstitioni, vel astuto consilio acceptas referre, quod sedem illam abominationis extulerit, quem omnino colorem habet? Perinde facit, dum ex tot heroicis & memorandis Caroli virtutibus vitiū hoc decerpit, quod laudet, atque ij, qui in auro non nisi scoriam legunt.

Inprimis eum ex Imperatoribus, qui in apertam defectionē & contemtum huius sanctæ sedis erupit, legimus fuisse Anastasium primum, quem à Gelasio Pontifice Romano admonitum, ne Acatij Episcopi Constantinopolitani à sede Apostolica damnati partes foueret, cum nec eius monitis paruisset, & Hormisdæ eiusdem successoris legatos ad eum ea de causa missos, vt à communione cū hæreticis desisteret, contemtim primum auditos contumeliosius dimisisset, diuina tādem ira fulmine è vita sustulit. Sequūtur huius impietatis successores, sed per interualla, multi alii Imperatores,

Quis non fustibus magis & lapidibus, quam verbis compescendum hunc impuri canis latratum dicat? quod Dei vindictam Iustiniano inflictam non manifestæ eius impietati, quam in sustinenda Eutychiana hæresi prodidit, sed ad vnam contumaciā transferat, qua sedis Romanæ maiestatem imminuerit? En palam Anastasius fidem Orthodoxam impugnat. Execrabilis in Christum blasphemiæ fautorem se & vindicem profitetur. Piam & salutarem de incarnationis ministerio doctrinam labefactat, quantum potest. Ecclesiam vniuersam turbat ac dissipat perniciosis dissidijs, fulmine tandem ictus misere perit. Nullam eiusmodi interitus aliam causam fuisse pronunciat Frenesius, quam quod Hormisdæ & Gelasio rebellis fuerit.

quales fuere Mauritius,

Mauritius iam senex, cum annis

viginti Imperium administrasset, à Phoca milite suo per insidias, & summā perfidiam sublatus fuit. Hanc fuisse contemtæ sedis Romanæ pœnam interpretatur Frenesius, quasi Dei consilio tunc interfuerit. Vtinam quidem se non immiscuisset placidus alioqui & quietus princeps prauis Episcoporum factionibus, aut reprimere Ioannis ambitionem, quam fouere maluisset. Verum quid tunc petebat Gregorius, quam ne permitteret Mauritius vnum aliquē censeri vniuersalem Episcopum, quia esset hic titulus, vt loquitur, nefarius, scelestus, profanus, abominabilis, & Antichristi prænuntius? Sed vt hoc quoque omittam, quænam ista est Frenesii æquitas, Principem scelerate occisum damnare quia sedi Romanæ se obsequentem non præbuerit, & laudibus vehere parricidam, qui in dominum optime de se meritum gladium strinxerit, qui ad imperium per talem perfidiam, ac tantum nefas peruenerit, quia ad ornandum Romanum idolum, & euehendam eius potentiam fuerit propensior? Quanquam quid aliud spectabat Phocas omnia Romanæ sedi largiendo, nisi vt hac quasi nefaria pactione Romanæ vrbis fauorem emereret, quod se Græcis suo merito sciebat esse infestum?

Constans secundus Iustiniani Constantini Pogonati filius, Philippus, Leo. Sed hos numerare longum esset, qui diuerso quidem genere mortis, sed omnes aut violento aut ignominioso spoliati antea imperio & omni dignitate perierunt, vt manifeste appareat in eis vltrix inobedientiæ vindicta diuina.

Mirum est in tam pingui mercede non esse Frenesio doctiores scribas. Quanta enim historiarum inscitia est, primum in nominibus turpiter labi, & ex Iustiniano facere Constantem: deinde cum omnes fere Græci Imperatores in eadem fuerint causa, pauculos hic nominare? Nisi hoc forsan arte faciat, quia pœnam, quæ pro terriculamento esset, inuenire in aliis non poterat.

Quæ series vsque ad Henricum illum perduci posset, qui cum grauissime sedem Apostolicam vexasset, tandem eum à suo filio captum Leodii, vltio diuina mori in carcere fecit: iustissimam quidem inobedien-

Henrici vitia, quib. laborauit, hic excusare nihil attinet. Quæ autem fuerint contentionum inter ipsum & Hildebrādum semina, si quis quærat, & qualiter depugnatæ fuerint, reperiet profecto, Hildebrandum hominem vafri & malitiosi ingenii, ad hæc

tiæ pœnam ab ipſo repetens, vt à filio caſtigaretur, qui eum, quẽ patris loco diuina ei prouidentia in Eccleſia conſtituerat, tot modis vexauerat, eiusque autoritatem neglexerat.

inexplebili ambitione ardentem, instructum vero & gladiatoria confidentia, & extrema crudelitate, cum Henricum videret luxuria diffluere, libidinibus deditum, præterea insolẽter ferocire, ſtatim quaſi oblata occaſione, ad diſſipandum imperium animum applicuiſſe. Quibus porro machinis Henricum aggreſſus eſt, quibus deinde armis vſque ad finem vſus eſt ad ipſum opprimendum? Cum ſacramento ſoluiſſet Principes Germanos, hoc eſt, peierandi licentiam illis dediſſet, alios adegiſſet falſis terroribus, alios minis perpuliſſet, alios corrupiſſet blanditiis, Bauarum traxiſſet ad ſpem Imperij, obtinuit, vt ſubito tota Germania bello inteſtino, tanquam vno incendio conflagraret. Cum ſuppliciter ad eum veniſſet Henricus, ac proſtratus ad eius pedes iaceret, ſuperbiſſime eum contempſit. Nec ante ſtatuit ſuæ tam impotenti & intolerandæ ſuperbiæ modum, quam ſibi Imperatorem ſubiugauit cum Imperio. Nam parum videbatur, ſi Cæſarem tanquam dedititium haberet, niſi diruto imperio ſolus dominaretur. Et audet hic Freneſius eius hiſtoriæ facere mentionem, quæ luculentũ teſtimoniũ reddit, vel potius illuſtre documentũ eſt, nulla vnquã vel ex inferis ipſis tam tetra monſtra extitiſſe, quorum fœditas Romanæ ſedis flagitijs non obruatur.

Id quod & de Friderico II. dici poteſt, niſi quod infeliciori mortis genere eſt ſublatus, qui, filio ſuo ipſo carnificis munere fungente, ſtrangulatus interiit. Tametſi Deus nõ ſemper hoc modo rebelles caſtigare ſolet, quandoquidẽ nonnullos ſic deſideriis ſuis frui permittit, vt quod ad externam caſtigationẽ attinet, impune peccare, & in magna rerum omnium affluẽtia quaſi felices viuere videãtur. Id ea ratione factum á diuina prouidentia ſancti Patres pie exiſtimarunt, ne, ſi omnes hi impii ca

Cur non & Fridericum I. recenſuit in hoc numero? Imo, cur nõ lõgum catalogum Imperatorum contexuit? Nam quo quiſq; Cæſarum placidius ſe geſſit, ita eo petulantius eius manſuetudine abuſi ſunt Romani Antichriſti, pudẽdis aduerſus eos ludibrijs nõ abſtinentes. Si qui autẽ paulo animoſiores eorum ferociæ reſtiterunt, ſenſerunt, quid eſſet furioſas belluas prouocaſſe. Cum plusq̃ effræni libidine, cũ plusquã tyrannica ſæuitia, cum importuno furore vltro, nõ prouocatos inſultaſſe vt plurimum Cæſarib. cõſtat tuos anteceſſores phrenetice: Si q̃d illorũ cuiq̃ acciderit calamitatis, ſtatimne reũ peraget,

stigarētur, nullū aliud tribunal diuinæ iustitiæ reliquū esse hominēs iudicarēt: quosdam ergo hic in aliorū exemplū Deus, vt iustus agnoscatur, aperte castigat: quosdā vero dū hic castigare dissimulat, ad tribunal suum futurū seuerius iudicādos reseruat. Nullū peccatū autē impunitum dimittit diuina iustitia. Ea aūt omnium est grauissima castigatio, cum ii, qui Deum grauissime offendunt, impune id se facere existimāt. Omnes n. tales cæcitate mentis sunt percussi, & in passiones, ignominias, ac in reprobum sensum traditi, quæ ceu propria impiorum flagella Apostolus numerat. Cum autem hæc omnibus impiis sint communia, tum vero maxime illorum propria, qui suam impietatem in oppugnanda principe sede, & in Ecclesiæ vnitate scindēda exercuere. Hoc quidem in quibusdam animaduertimus, qui quo plurib. (dū sanctam erga illā obedientiam seruarunt) virtutib. splēdere sunt visi, eo magis post impiā ab ea defectionē, in prodigiosas animi passiones auaritiæ, libidinis, & crudelitatis fuerūt traditi: id quod Anastasio X. de quo supra mentionē fecimus euenisse historiæ narrāt. Similibus v. exēplis in hac nostra ætate vtinā careremus. Nec vero in singulos tantū homines hæc vltio diuina, castigās eorū inobediētiā erga hāc principē sedē est peruagata, sed in nationes etiam & prouincias, in quib. videmus cum grauissime omnium ii sint castigati, qui Christum Dominum habere recusarent, proximū miseriæ locum eos sortitos esse, qui vicarii Christi autoritati restitere. Duas vero nationes à Deo in primis castigatas, atque

ges, q se tā immanib. bestijs cōculcandum non prostituerit? Itane, furcifer, Deum nequitiæ vestræ ministrum simul & assertorem facies?

Fateor sane, diram imminere Dei vltionē omnib. qui ad scindēdam Ecclesiæ vnitatē animū applicuerint. Quæ aūt maior vnitatis dissipatio, q̄ dum adulterata doctrinæ puritate, & euerso in eā cōsensu Christus quasi in partes discerpitur? Quis autem præter vnū te, ô carnifex, huius dissipationis autor est atq; antistes? Scio per te nō stare, quominus prædicemus oēs vnū in terris caput, vnā Romanā sedē matrē ac Reginā. Sed quis præter te obstat, quominus oēs ex animo cōfiteamur Deū vnū & fidē vnā, sicut vnū est inter omnes baptisma? Principem v. sedem qd nominas, q̄ iam per annos plusquam 800. vero Episcopo vacua, mortuis prin. ū simulacris locum pbuit, nunc ab impietatis Principe, & crudelissimo animarum tyranno, à capitali Christi hoste, à pcipuo Ecclesiæ vastatore occupatur?

afflictas videmus, quæ olim florentissimæ fuere. Quarū vna pertinax in negando Christo permansit, altera aliquandiu cum vicario eius præ ceteris omnibus contendit. Illa est Iudæorum, qua nulla maiori miseria est oppressa.:

hæc vero Græcorum, quæ proxime ad miseriam Iudæorum accessit, quia proxime ad impietatem accesserat. Quare si Christus ipse in ceteris Imperatoribus, Regibus, populis & nationibus nunquam inultam tulit vicarii sui spretam autoritatem ea interim perpetua successione conseruata: si tum seueris iudiciis eorum inobediētiam castigando odiosos sibi semper fuisse huiusmodi conatus ostendit, quāto in te, Cæsar, si (quod Deus auertat) hanc oppugnares, cum apud Deum, tū apud homines hoc odiosius iudicaretur, qui ex illis Imperatoribus originem ducis, qui non plus honoris sedi Apostolicæ detulerunt, quam ipsi ab ea receperint. At neque hæc, charissime fili, scribimus, quasi vllo modo nobis persuadere possimus, huiusmodi te consilia in animo rata & confirmata habere: sed vt amans pater salutis filii & honoris, ac de vtroque solicitus, simulatque edictum ipsius Spirensis conuentus vidimus, te admonendum duxi-

Quin Iudæi meritas contemti & oppugnati Christi pœnas luant, minime dubium. Græcos videmus, misera & acerba seruitute premi: causa obscura est, nisi ex verbo Dei petatur. Hoc inde accidisse diuinat Frenesius, quod rebelles fuerint sanctæ sedi. Ego si coniĳcere licet, potius id factum interpretor, quia eo vsque superbierunt, vt vniuersæ Ecclesiæ dominatū priores appeterent, quem nunc sibi vsurpat Papa, quod nouitatis cupidiores in varias sectas fuerunt distracti, quod praua ambitione, dum melius aliquid excudere volunt sacris Christi institutis, degenerarunt à syncera Euangeliĳ regula. Vtra ex his duabus verisimilior coniectura est? Illa certe vitia, quibus ego causam imputo, Dei iudicio damnata esse constat. Quod si audiendi sint homines, dum causas ex cerebro proprio quaslibet comminiscuntur, non minus specioso colore Græcia, stāte adhuc salua illic imperiĳ maiestate & potentia, Romanis exprobrare poterat, pœnam eos pendere suæ rebellionis, quod sedi Constantinopolitanæ in primatus controuersia restitissent. Et si, quemadmodum superius retuli, non tunc ambiebat primatum Romanus Episcopus, quum agitar

cœpi

mus, eo quidem grauius, quo magis exploratum periculum, in quo versaris, habemus. Denique si pluribus dissuasimus, ne in disceptationes super his, quę ad religionem pertinent componendas, ius tibi vel authoritatem sumeres: non ob id scripsimus, quod disceptationes componi non maxime optaremus

cœpit contentio, sed ne inferior Constantinopolitano foret, locum suũ tuebatur. In summa vnum esse peccatum in mundo dignum ira Dei dignum omnibus pœnis, malorum denique omnium fontem, persuadere vult Frenesius, quod sibi non obsequantur omnes, quod non à suo nutu pendeant, quod non suũ adorent numen loco Dei. Quis nisi mente abalienatus persuaderi sibi sinat? Quod si ad fidem habendam paratos habeat omnes, primũ ostendat, oportet, quid commeriti fuerint Hungari, quorum nihilo melior est, quam Græcorum conditio. Expone, inquam, nobis phrenetice, quo suo delicto in eandem cum Græcis seruitutem coniecti fuerint Hungari, quibus non aliter semper abusus es, atque vilissimis mancipijs, & qui perinde ac serui ergastulis inclusi, vincti compedibus nullum tuum imperium recusarunt. Quam ergo pueriliter ineptis, dum quasi re confecta, superciliose pronuncias, nunquã sedis tuæ impune spretam fuisse tyrannidem? At certum est non leuiter moueri Christum vicarij sui contemtu. Pergesne igitur os putidum ita Christo illudere? Primum, quis te ad hunc honorem euexit? Nemo enim, teste Apostolo, sumere sibi honorem debet, nisi vocatus. Dictum est Petro, pasce oues meas. Excipio, omnibus idem esse dictum. Veteres illi fumi quibus antehac perstringere solebas hominum oculos, pridem euanuerunt. Qua fronte tam superbum titulum arrogare tibi audes, quem si quis angelorum sibi assereret, anathemate esset feriendus? Gregorio tuo, sicuti iactas, antecessori, scelestus, impius, sacrilegus, Satanæ vicarius, præcursor Antichristi fuit, qui se Episcopum vniuersalem faceret, siue Romanus siue alius quispiam. Elige nunc vtrum voles. Aut enim Gregorium damnes, oportet, tanquam sedi tuæ blasphemum, aut tam grauem sententiam sustineas. Iam vero parcamus huic tam execrandæ blasphemiæ, vt, inquam, fingamus vanum esse, quod post Apostolos & Prophetas docet Cyprianus, vnum esse in Ecclesia Christi Episcopatum, cuius partes in solidum singuli teneant, & hanc dignitatem ad vnum quempiam hominum transferri sinamus, quo tamen iure aut qua specie tibi, perdite & deplorate latro, conueniet? Tune Petri successor, qui nihilo plus similitudinis cum eo habes, quam Nero quispiã, aut Domitianus, aut Caligula? Nisi

forte Heliogabalum mauis, qui ſacerdotium nouum imperio adiunxit. Omnes certe illi ſummi Pontifices, nomine erant, quod in ſuperſtitione illius temporis licebat: tu id nomen hodie vſurpas in populo Chriſtiano contra ius & fas, cõtra inuiolabile Chriſti placitum, contra omnium ſanctorum patrum inſtituta. Tu Chriſti vicarius, cuius oẽs cogitationes, ſtudia omnia & facta huc ſpectant, vt aboleatur Chriſtus, modo nomen inane maneat, quo tanquam meretricio fuco abuteris? Tu Chriſti vicarius, quem iã pueri omnes nouerunt certũ eſſe Antichriſtum? Qualem nobis Chriſtum fabricabis, ſi velis eius imaginẽ in tyrannide tua agnoſci? Videmus omnis impietatis antiſtitem, Satanæ anteſignanum, ferocẽ animarum tyrannũ, ſæuum carnificem, quod ad vitã ſpectat, monſtrum ex omnibus flagitijs conflatum: illum denique perditionis filium quẽ nobis depingit Apoſtolus, & Chriſti vicariũ iudicabimus? videmus inquam, lupum, à quo deuorantur Chriſti oues, videmus furem, à quo abigũtur, videmus prædonem à quo mactantur, & hic nobis Chriſti vicarius erit?

qui (teſte noſtra conſcientia) vt hoc rite fieret, vitam & ſanguinem libenter effunderemus: ſed vt exemplis cum ex diuina ſcriptura, tum ex Eccleſiaſticis hiſtoriis citatis te admoneremus, ne quod ad tuum miniſterium non pertinet ipſi tibi arrogares, & pro tua & Imperatoria dignitate iuberes, ſed potius Cõſtantini Magni ſerui Dei maximi ac feliciſſimi Imperatoris exemplo te hortamur, quod tantum facimus, vt eos primum

Themiſtocles olim iuſtitiæ ſacrum facturus exclamaſſe fertur, O Dea, ſi qua vſquam es: nos de conſciẽtia Papæ non rogabimus, vbi nã ſit, dum eam teſtẽ citat? Excitare interdum ab inferis ſolent Rhetores, quorum perſonã cauſæ ſuæ aptã iudicant. Sed neq; hoc in Papa locum habet, cui neq; cœli ſunt neq; inferi. Qui ergo hanc chimæram manib. tenebit, ille Freneſium pro Eccleſiæ pace libenter ſanguinẽ profuſurum credat. At ſi rem ipſam intuemur, quid ſit alienum ſanguinẽ fundere, nouit Paulus, ſuo parcere didicit. Certe etiam ſi hactenus creditum fuiſſet aliquam cõſcientiæ particulam in Papa adhuc manere, hoc tamen tam manifeſto periurio apparet, quam omnem Dei timorem, & hominum reuerentiam abiecerit.

ſuo iudici & ſuis iudicibus iudicandos & corrigendos relinquas. Ille vero, quum rogatus eſſet ab ipſis ſacerdotibus, vt in

Aequa ſane conditio, vt Papæ tradãtur iudicandi Proteſtantes. Quidni? Ego enim, inquis, ſum eorum iudex. Solusne? Adiutores ſibi in concilium

eorum disceptationibus se iudicem præberet, prorsus recusauit:

assumit venerandos fratres suos, quos etiam honoris parte aspergit. Tot lupis vt tradatur grex ouium? At qualescunq; sint, ipsorum tamen est cognitio.

Si olim Paulo dicere licuit de pariete dealbato: Nesciebam fratres, quod Pontifex esset, quid nobis de atris istis vulturibus hodie dicendum erit? Sed ne longior sim, tantum hoc dico, Sacerdotes Domini se esse ostendant, & iudicandi potestatem mox illis sine difficultate vlla concedam. Quales autem video, merito sciscitari possum, quisnam eos constituerit arbitros aut iudices.

Cuius verba in hanc sententiam ab historiarum scriptorib. qui affuerunt, citantur: Deus vos constituit sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi: & ideo nos à vobis recte iudicamur, vos autẽ non potestis ab hominibus iudicari: propter quod Dei solius inter vos expectate iudicium, & vestra iurgia, quæcunq; sint, ad illud diuinum referuentur examen. Hæc ille Magnus non tam imperio, quod erat maximum, quam pietate & ceteris virtutibus dixit: cui te, Cæsar, in omnibus persimilem esse cupimus & optamus. Quod vero præ te fers studium & desiderium, vt cõponantur controuersiæ in religione & vt aliqua disciplina morũ in vniuersa Ecclesia renouetur, te in hoc quidẽ magnopere laudamus, & abs te petimus, vt in hoc operam tuam præbeas, vt cui Deus curã huius ministerii

Quo elogio Principes & Magistratus ciuiles ornat Spiritus Sanctus, sicuti cum ex loco ipso constat, tum etiam ex Christi interpretatione illud Constantinus homo non valde exercitatus in scripturis, & si verũ narrant historiæ, tũc adhuc Catechumenus, errore ad sacerdotes trãstulit. Frenesius Achillis clypeũ se inuenisse putat, dũ inde patrocinium mutuatur. Nunc statuẽdũ est, vtri plus fidei sit habendũ, Deone, an Constãtino. De sensu eius sentẽtiæ loquor: Ego dixi, dij estis. Alioqui prudẽter egisse Constantinũ fateor, qui cũ Episcopos cerneret fatali quadã rabie in mutuã lacerationem inflammatos Ario parcere & deserere causã Christi, & vt suæ cupiditati morẽ gererẽt, probrosos eorũ libellos consciderit. Ceterũ q̃ procul à mẽte Frenesii abfuerit Cõstantinus, ne falso amplius eius nomẽ obtendat, ex illius ad Nicomedẽses epistola, quam Theodoret. lib. 1. refert, iudiciũ facere promtũ est. Si castos inqt habemus, & orthodoxos & modestos Episcopos, gaudemus. Quod si qs audacter ac incõsulte ad fouẽdas pestes exar-

commisit. Vt enim te tanquam caput in rebus huiusmodi tractandis minime ferendum censemus, ita tanquam brachii accommodatissimi tuam in primis opẽ desideramus. Hoc vero nostrum desiderium fecit,

serit, illius audacia ministri Dei, hoc est, mea executione coërcebitur. Quãdo in omnibus Constantino persimilem Carolum Cæsarem esse optat Frenesius, manu eius non suam audaciam sed efferatam rabiem coerceri patiatur.

vt ad minimam quamque spem cogendi concilii Oecumenici, nõ solum nos semper promtos præbuerimus, ad illud indicendum, sed vbi vel minima spei scintilla eluxerit, cogi posse, eo statim legatos miserimus: quẽadmodum vltimo loco etiam fecimus, quanquam non cum eo fructu, quẽ assidue optamus: sed maluimus sane omnia tentare, quam vel minime occasioni deesse, quam à diuina bonitate semper expectamus. Cum autem vniuersalis Ecclesiæ vtilitatis causa cõcilium fieri summopere cupimus, tũ vero præcipue illius inclytæ nationis Germanicæ, quæ iam pridem discordiis in his, quæ ad religionem pertinent, plurimum vexata dissidet, cuius saluti (vt tua etiam Maiestas fatetur) commodissime per generale concilium opitulari nos posse semper sperauimus.

Speciem quidem cogendi concilij iam aliquoties præbuit Frenesius, sed qui serio eum cogitasse vnquam de habendo concilio putat, micam sani cerebri non habet. Mundum quasi famelicũ ingenti concilij desiderio hiare iã dudum nouit. Extremæ se crudelitatis damnari ab omnibus intelligit, quod tamdiu varijs ludificationibus tempus extrahat. Cur non igitur, quoad citra suum dispendium potest, satisfaciat imperitis, concilium subinde indicendo, quod nunquã habeat? Si quis autem miretur, cur tantopere conciliũ reformidet Papa, in quo nulli bono patebit locus, inde reputet, quam sit prodigiosa tyrannidis species, quæ non nisi per terrorem & metum retineri potest.

Horum autem consiliis, qui iam ab hac sede sunt damnati, te vsum esse (quod nunc conquerimur) non ob id quidem

En quid premat sanctissimum patrem. Non audiendo aut disceptando tractari vult causam Protestantium, sed hoc commodissimum fore putat, si ab illis

conquerimur, quod semper hos remotos à tua amicitia esse cupiamus, aut id quæramus, quia semel damnati sint, vt semper damnati maneant. Testis enim nobis est Deus, quam nihil magis in votis habeamus, quam vt oues perditas ad dominicum ouile reducamus, & vt illam nobilem prouinciam vniuersam in fide & religione

ab illis damnandis exordiatur. Quāquam vix isto honore etiamnum eos dignabitur, ne rem actam agere iterū incipiat, sed exequendam in eos sentētiam mandabit. Et certe non male cōsulit suis rationibus, dum ne causa tam dubia & sibi periculosa retractetur, solicite cauet. Quid ergo, si audiatur, Protestantibus reliquum est, nisi vt causæ suæ defensione omissa se illi suaque omnia dedant?

cum capite & reliquo corpore in omni amore atque amicitia coniunctam videamus, idq; ob eas, quas diximus, causas. Sed tu nunc (dum ii in discordiis cum capite & reliquo corpore manent) de illis, qui tales sunt loquimur (dum extra Ecclesiam sunt, per edictum etiam tuum damnati) eorum amicitiā pluris, quam par est, facis, dum indulgentius eos tractas: cum hæc tua indulgentia & præteritorū edictorum declarationes separatim à te factæ, non solum hactenus illis non profuerint, vt ad saniorem mentem redirent, sed potius, quod re ipsa compertū est, occasionem dederint, vt insolentiores sint facti, & ad occupanda vicinorum bona animosiores, dissidium certe ipsum magis hoc modo fouere, quam tollere videris. Sed hæc quæ ad meliorem formam, non iis quidem viis, alienis ab omni more & consuetudine maiorum, atque ab i-

Vtinam quidem vere coalescant Germani omnes in verum fidei cōsensum, sibique mutuo sub vno capite adhæreant nempe Christo: imo totus in hāc vnitatem reducatur orbis, quo impleatur illud, quo certum est solidam Ecclesiæ perfectionem contineri, hoc est, vt fiat vnum ouile, & vnus pastor. sed reclamat Papa, qui pro nihilo ducit, Deum agnosci vnum ab omnibus, puta Christi doctrina, & auspiciis gubernari totum mundum, nisi ipse pro capite adoretur. Ergo vtcunque Deum, nisi falso testem inuocare nequeat, qui Deum nullum habet, ne tamen semper mentiri eum putes, vnum hoc vere affirmat, sibi nihil esse magis in votis, quam sub iugum suum omnes redigere, qui auolarunt, & quos pro indomitis habet.

pſo iure diuino, ſed per generale concilium optime perduci potuiſſe, ſemper in Domino ſperauimus, & nunc etiam ſperamus: ideo nos plus illius prouinciæ commodis, quam vllius alterius conſulentes,

ad Germaniæ fores, Tridentum vſq; legatos noſtros miſerimus. Sed vocauimus, & non erat, qui audiret; venimus, & nõ erat vir. Verum nec propterea deſiſtimus, ſed adhuc vocamus & clamamus ad te, & ad ceteros Principes. clamamus vero cum Propheta Dauide:

Quaſi vero vocauerit ſpe colligẽdi, ac non potius de induſtria tẽpus elegerit, quod eſſet ab omni pacata conſultatione alieniſſimum. Cum ſatis compertũ haberet, bello diſtineri duos, præcipuos Chriſtiani orbis Monarchas, etiã pluribus locis claſſicum propemodum canere, cõciliũ habere ſe velle ſimulauit. Quis tam ſtultum fuiſſe credat, vt ſperauerit? Vnde etiam coniecturam facere licet, nihil eum niſi per ſimulationẽ gerere. Nam qui factum eſt, vt trãquillis rebus ceſſauerit, & cum aliquandiu volitaſſet concilij Mantuani indictio, & poſtea Veronenſis, vtrunque in bullam euanuerit, nunc autem in medio armorum ſtrepitu, & tempore turbulento, ſe tanquam in optima opportunitate commoueat?

Venite, ploremus coram Deo: nec enim aptius principiũ concilii eſſe poterit. Et cum Daniele: Oro pro peccatis meis & populi, accuſo, confiteor, obſecro. Domine, peccauimus, iniquitatem fecimus, & impie egimus & receſſimus, nobis confuſio faciei, Regibus noſtris, principibus, & patribus noſtris, quia peccauimus: tibi autẽ Domine miſericordia eſt & ꝓpitiatio. Ad tale ergo conciliũ te vocamus,

O proſtitutam impudẽtiam! Mirũ niſi ſcribæ ſuo mandauerit, vt inter ſcribendum ingemiſceret, ac lachrymulã vnã extorqueret ab oculo ſiniſtro. Sed non minus ſtultus eſt, quam improbus qui coram Cæſare hanc fabulam agit, quaſi ſit illi incognitus. Quærat ergo peregrinum. Tametſi quis reperietur ab oriente ad occidentem vſq; qui cum Deo hic & hominibus illudere neſciat? Sed pergamus. Locum quem indicit Concilio? Tridentũ. Valde eſt idoneus, ſiquidem tam fatui erunt Germani, vt in medias lupi fauces vltro ſe ingerant. Qualis erit conſeſſus? Mileſiorum ſcilicet qui ne imaginem quidẽ boni viri inter ſe ferre poſſint. Qualis in cognoſcendo æquitas aut moderatio? Forte ad placidam piamque deliberationem integri,

nec

nec vllis præiudicijs occupati accedent. Imo iam dicit causam Frenesius, quæ in disputationem vocatur, iam damnatam esse. Superuacuum ergo foret in ea discutienda vel horulam consumere. Ne tamen vel morosi nimiũ vel crudeles appareãt, ad audiendum se component I. apparitor, Protestãtes accerse, si qd cupiunt cõcilio propositum, supplici libello perstringãt, ne delicatis sanctorum patrum auribus sint molesti. Auditis supplicum postulatis, ante omnia tentare conueniet, num summam absq; prouocatione potestatem de se suaque doctrina iudicandi, sanctis patribus concedant: deinde, num omissa, quam apud se iam constitutam habent, reformatione abnegataque, quã amplexi sunt, doctrina, fidem ritusq; omnes sanctæ Romanæ sedis quasi postlimio suscipere sint parati. In priore si hæsitauerint, schismatici extẽplo pronunciabuntur: secundum si facere recusauerint, iam bis heretici erunt. De illorum ergo contumacia vindicanda statuendum continuo erit. Quicquam enim attingere nefas erit, nisi Ecclesia in integrum restituta. Interim ergo dum intestino bello distinebitur Christianus orbis, ad persequendos opprimendosque Protestantes, Ecclesiæ reformatio differetur. Neque tamen interea cessabit venerabilis clerus. Flabellis enim multis ad ignem inflammandum passim opus erit. Quod si in tranquillam possessionem semel redierint, si quis vllam amplius conuocandi concilij mentionem facere audebit, turbator & seditiosus, & vnitatis inimicus vno omnium ore proclamabitur. Certe, autore Frenesio, ne Imperator quidem ipse impune id tentauerit. Tamen vt Imperatori concilium petenti detur venia, liberum tamen erit Papæ recusare. Repulsam autem passus vlterius progredi caueat, nisi velit, Vsiæ exemplo, arrogantiæ suæ pœnam luere, aut alio quouis horribili exitio perire. Sed de ordine concilij alias, si tempus dabitur.

in quo Angelos ipsos assessores habere speramus, qui, si super vno peccatore pœnitentiã agente gaudent, quanto magis super vniuersa Ecclesia, cuius ipsi pars sunt, ad pœnitentiã cõgregata gaudebunt? Huc accedit, ꝙ saluti Christiani populi, ab imminente potentissimo, & perpetuo nominis Christiani

Quis iam miretur Papam sibi in vniuersum mortalium genus primatum vendicare, cũ se Angelorum quoque præsidẽ hic faciat? Sed vereor, ne ambiguitate nominis errauerim, & certe erraui. Quos n. Angelos intelligeret, nisi quib. vti cõsiliarijs semp assueuit. Ex quib. vnus est ille, qui olim ad perdendũ Achab spiritus mẽdax in ore omnium Prophetarum fuit. Si tantum

hoste Turcarum tyranno, quo pacto, nisi per Christianorum coniuncta in fide & charitate auxilia consuli possit, non videmus. Quare sterne viam, dilecte fili, ad tale concilium. Hoc enim tui muneris proprium erit, sternes autem, si vel pacem reddas, quantum in te est, Christiano populo tantopere ab omnibus expetitam: vel saltem arma cohibeas, dum Ecclesia in concilio congregari possit, vbi æquius est, quam per vim, vestras disceptationes decidi. Hoc vero tu & ceteri Christiani Principes, quos etiam atque etiam de eadẽ hac re admonebimus, præsertim vero eum, quocum bellum geris, faciatis. Iam concilium adest, iam pridem enim indictum est: neque vero abruptum est, etsi bellorum causa in commodius tempus dilatum. Itaque huc, charissime fili, incumbe, & hanc lætitiam primum populo Christiano, qui iam pridem intestinis bellis est attritus, redde. Deinde vero nobis, qui nihil te charius in terris nos habere iudicamus, qui primogeniti apud nos locum in amore tenes, idque specimen diuinæ in te virtutis præbe, vt non modo patrem te pie monentem, non auerseris: quod faciunt ii, quos Deus, in signum abdicationis, suis desideriis tradit:

illic potuit vnus, quid hic facient aliquot millia? In hoc tamen iure reprehendi Frenesius potest, qui ad subsellia relegat eos, qui concilio supra ipsius tribunal præsidebunt. Neque enim ipse tam magnus est Deus, quin patri mēdacij seruiat. Certe qui magicis diuinationibus se vitamque suam subijcit, diabolo, quem inuocat, minorem se esse profitetur. Etsi quid profiteatur, non moror, dum quid faciat video.

sed vt eundem ad te, tanquam Deo iubente, tali tempore missum, qui labantem sustineat, & magno animæ salutis periculo liberet, omni pietate amplexeris, eius vocem libenter audias, monitis obtemperes: satis vero obtemperabis, si, cum te á semita sancta, vt appellat Propheta, quæ eadem est regia via, maio-

Pater est, qualem fuisse Saturnum tradunt Poëtæ, qui filios, scilicet deuoret, quicunque tamen dicto non fuerint audiētes, eos è numero filiorū Dei abdicat. Sed bene habet, quod Salmonæi sunt, non Dei fulmina. Hoc primum est, ne qua doctrina, nisi ex tripode Romanæ sedis profecta, recipiatur, quo impetrato, quæ amplius ambigendi causa erit? Proinde quin de examinanda

rum tuorum religiosissimorum principum, humana concilia vt hominem deflectere potuere: huc statim de ea, qualis sit, admonitus, diuinam indolē proferēs videas, atque ita in animū inducas, nullum vt in iis, quæ ad religionem pertinent, tibi ius & autoritatem vindices, si diuinā institutionē & Ecclesiæ consuetudinem sequens ab ipsis conuentibus Imperialibus, à quibus absunt, qui autoritatē de eiusmodi rebus cognoscendi habēt omnes de sacerdotibus atq; de religione disceptationes prorsus excludas, & ad eorum proprium tribunal reiicias:

nanda doctrina, de repurgando corrigendoq; Ecclesiæ statu agatur, nō abnuit, modo id fiat se iudice, & tota cōtrouersia solo suo nutu trāsigatur. Nec eo contentus sibi eatenus cauet, vt quæ volet ipse cum Angelorum suorū cohorte, ea duntaxat in quæstionem veniant, vt modum actionis præscribat, vt silētium iniungat, quoties libuerit, vt simulatq; concrepuerit, omnes contremiscant. Ita ne? corruptum Dei cultum, extinctam eius gloriam, vel saltē obscuratam, euersum Christi regnum, pessundatam religionem doctrinā, veritatis partim vitiatam, partim sepultam, vastatam misere ac laceratā Ecclesiam, sacramēta ad turpem fœdumque quæstum prostituta, animas Christi sanguine redemtas sacrilegæ nūdinationi expositas esse, ministerium vel pastorale munus, quo nihil mundo magis salutare esse debuerat, in exitialem tyrannidem conuersum conqueruntur Protestantes. Horum omnium malorum Papam cum suis vnum faciunt, parati sunt digito monstrare ipsum esse Antichristum. Quod si non probauerint, non calumniæ modo pœnam, sed atrocissima quæque supplicia sustinere non recusant. Tantum audientiam sibi dari coram æquo tribunali postulant, & quidem hac lege, vt causa ex sacro Dei verbo definiatur, neque tamen negligantur vetusta patrum instituta. Quid ad hæc sanctissimus pater? cognitionem quidem recipit, sed his quas retuli legibus. Hoc vero perinde est agere, ac si quis latro de cædibus ac furtis à se perpetratis accusatus, iudicium se non recusare dicat, sed hac lege, vt sibi tribunal erigatur, ex quo de sua causa pronunciet, ne quid se inuito proferatur, ne qua contumelia lædatur, ne quibus vrgeatur testimoniis, sed totam causæ actionem sic temperet, vt scelerum impunitatem citra vllam molestiam sibi confirmet. En cur Imperiales conuentus audiendæ huius causæ non sint capaces.

Si de bonis Ecclesiasticis, quorum iudicium ab ipso Domino,

Secundum est de bonis Ecclesiasticis, vt, si quid hactenus fuerit in eorū

cui sunt consecrata, sacerdotibus relinquitur & commendatur, & ipse nihil statuas, & sepositis armis aut studeas paci, aut si aliter pax conciliari non potest, concilio generali iudicandi de iis, quæ tam perniciosa bella in populo Christiano tamdiu alunt, potestatem facias:

administratione vitij, si qua illicita vsurpatio, non nisi Papæ iudicio corrigatur. Quis frustra Papam in eo insistere neget? Qualis enim aditus patefieret Principibus ad res nouandas, si huc admitterentur? Palam est, quam effrænata luxuria diffluant hodie Episcopi, Abbates & qui ordine sequuntur. Audirent Principes opulentiam istam, quæ hodie tam perdite dilapidatur, pauperum esse patrimonium. Quis non insurgeret aduersus eos, si non ipsi priores occuparent, in ordinem se cogendo? Audirent ex antiquis canonibus, qualis sit & ad quos pertineat dispensatio. Diaconiam illam veterem omnes requirerent. Audirent neminem esse ex Ecclesiæ prouentu alendum, nisi qui functioni suæ satisfacit. Clamarent abigendos igitur esse omnes otiosos ventres. Et quotusquisque ex tot legionibus maneret? Quis hodie Episcopus officio fungitur, imo fungi se simulat? Quis Parochus? Nam Canonici & alij ad veterem Presbyterij formam reuocarentur: Neque alias tantum Ecclesias peruageretur profana ista, hoc est, laica, vt loquuntur, correctio, sed ad ipsam Romanam sedem hactenus inaccessam pertingeret. Porro quid aliud hoc esset, quam cælum terræ miscere? Indignum vero facinus, vt Deo terreno dicantur viuendi leges, vt eius mensæ sumtus præscribantur, exigatur annuatim ab eo ratio. Neque id modo, sed quæ alijs vel per vim iniustam rapuit, vel fraude furatas est, extorqueantur ab eo. Quinetiam, & quæ Imperio pridem ablata quasi iure possidet, restituere: denique rapinas omnes, quas ingurgitauit iam tot annis, euomere cogatur. Quod si qua maior vrgeret necessitas, concedi id forte posset. At nunc cur inuaderent Principes alienum munus, cum tam æqua alioqui ratio hic à Frenesio præscribatur? Quis enim ad remedium ferendum aptior, quam cui bene perspectus est morbus? tollendæ sunt ac repurgandæ corruptelæ, quæ veterem diaconiam prorsus sustulerunt. Quibus potius iniungi hoc onus conuenit, quam qui malorum omnium non modo penitus sunt conscij, sed etiam autores? Expectemus, qualis sit futura emendatio, si sacerdotibus libera vel agendi, vel cessandi potestas relinquatur. Non sic pius Rex Iosias, qui non prouentui tantum ad victum destinato, sed etiam sacris oblationibus scribam suum præfecit. Et tamen Fre-

nesium

nesium nihil pudet sacrilegij accusare Imperij ordines, si cohibendis sacrilegiis se interposuerint.

Si denique ea, quæ per nimiam indulgentiam rebellibus huic sanctæ sedi & contumacibus concessisti, ipse rescindas ac tollas.

Hæc enim, charissime fili, cum ita sint, quæ tuam ipsius animam in magnum periculum salutis adducant, & Ecclesiæ pacem magis magisque perturbent, facile videre potes, nisi per te quamprimum his malis remedium adhibeatur (quod te facturum speramus) in quas angustias sis nos compulsurus: vt aut officio ac muneri nobis à Deo per eius Filium dato deesse cogamur, cum maximo Ecclesiæ detrimento, aut iterum seuerius agere, quam vel consuetudo nostra, vel natura, vel voluntas ferant. Quanquam officio quidem deesse in tanto discrimine nec debemus prorsus, nec volumus, quantum per eius gratiam, cuius vices, licet indigni, in terris gerimus, de nobis polliceri possumus. Insidet enim in animo, & ob oculos nobis obuersatur illud idem, de quo principio diximus, diuinæ seueritatis in Heli sacerdotem

Quid sit concessum Protestantibus dicere supersedeo: quanquam huc summa redit, ne quibus iniustis præiudicijs, nisi causa rite cognita & iudicata, ante tempus grauentur. Hoc totum rescindi iubet Sanctus pater. Durum id quidem prima specie, sed ratio subest. Quid enim si ad concilium integri veniant Protestantes, quantum Sanctæ sedi decesserit, vt quasi de re dubia ineatur disceptatio? Non abs re ergo est, quod tam strenue contendit Papa, ne quo priuilegio subleuentur. Quid enim aut commodius illi, aut magis expeditum, quam vt damnati illuc pertrahantur, vel pœnas luant, suæ absentiæ? Quin ergo illi expediat non dubium, sed num etiam æquum ac rectum sit quæritur. Valeat honestas, inquit Frenesius, vtilitas præualeat. Hoc quidem iure Romano vsitatum est, sed non meminit se in Germania loqui, vbi & fidei datæ religio colitur, & pudoris habetur ratio, Germaniæ, inquam, hoc nouum est, ac insolens rescindere promissa, à fide semel data resilire, nihil habere firmi nec rati, nisi quantum sit tibi vtile. Quod si à cõmuni Germaniæ vsu abhorret, quod promiseris pro nihilo ducere, vt retractet, cum libeat à Cæsaris persona quid alienius?

exemplum: quē non ob id quidem damnatum legimus, quod in filiis corripiendis prorsus abstinuerit. Corripuisse enim eos satis constat ex scriptura, sed quod in corripiendo, vt inquit D. Hieronymus, lenitate patris, non autoritate Pontificis agebat. Nos lenitate patris integris prope adhuc rebus vsi sumus, quibus ex edicti forma transactis, quod Deus auertat, in Heli exemplo satis video, in quam nos necessitatē sis adducturus. Quare recum considera, Cæsar, quid te magis deceat, quid ad tuum in primis officiū erga Deū & Ecclesiam magis pertineat, quid honori & rebus tuis magis expediat. An vt brachium nostræ seueritati, in iis, quæ ad vnitatem Ecclesiæ pertinent, præbeas, an potius illis faueas, qui hāc semel ruptam in plures adhuc partes scindere miserabiliter laborant & optant. Deus pacis pro immensa misericordia sua, tuam maiestatē ab iniquorum consiliis liberet, ac pacis cōsilia in tuo corde confirmet, vt vnanimes vno ore honorificemus Deum patrem per Iesum Christum, cui cum sancto Spiritu sit honor per æterna secula. Amen. Datū Romę apud S. Marcum XXIV. Aug. M. D. XLIV.

CONCLVSIO

Finis est, vt quicquid cū Protestantib. pactus fuerit Imperator, transegerit, constituerit, irritum sit ac inane. At fide inter homines nihil sanctius. Pridem decretum est, nō esse hæreticis seruādam fidem: quid si interpositum sit iusiurandum? Quasi vero nō sit Pontificium, sacramento soluere quoties visum est. Ius est Imperij perpetuum ac inuiolabile, vt promissis stetur: quid tum, annon legibus superior est Papa? Imo quid illi cum legibus? At maiestate Cæsaris indignum à decreto discedere. Satis est, quod omnis turpitudo Papæ sanctitate abstergitur. At confectum est diploma. Quasi vero non omnibus diplomatis abolendis vna Papæ absolutio sufficiat. Sic quidē antehac agere solebat. Cuius rei insigne documentum est Ioannes Hussius, quem Romanenses fide publica Constantiam illectum crudeliter necarunt. Aderat Imperator Sigismundus, mansueti ingenij Princeps ac minime sanguinarius. Cum sibi ac toti imperio turpissimum duceret, quem in fidem tutelamque receperat, in conspectu suo, adeoque ex protectionis suæ præsidio à carnifice ad mortem rapi, ac tam barbaræ immanitati pro virili intercederet, compositum à sanctis patribus fuit decretum, non esse hæreticis seruandam fidem. Quo liberata omni religione fuit Cæsaris conscientia, eius autem verecundia & ingenuitas derisa est, quod

sibi

ſibi à violatæ aut ſaltem neglectæ fidei probro adhuc metueret, ſed alia nunc eſt ætas. Mundus qui tunc cæcus erat, oculos aperuit. Reſidet etiamnum in animis Germanorum tantæ fœditatis recordatio, quæ eos ſatis admonet, ne ſe amplius Romanenſium perfidiæ comites adiungant. Præſertim vero is eſt Cæſar, qui famam dignitatemque ſuam, vt Freneſio mancipet, adduci nunquam poterit. Scitur, quoties ad ſæuitiam inſtigatus fuerit ab iſto Satana, quibus flabellis fuerit incitatus. Conſtanter tamen ſtetit in propoſito, vt hæc vna ſit ex multis eius præclaris & heroicis virtutibus maxime admiratione digna, quod inter iſtos imperij motus, nunquam ſe aut à moderatione & clementia, aut à fidei ſuæ religione dimoueri paſſus fuerit.

PAVLI III. PONTIFICIS ROMANI

Epiſtolæ duæ ad Heluetios, & aliquot eorum Epiſcopos, atque Abbates, quibus & inſtituti concilij Tridentini & ſuſcepti contra Proteſtantes belli ratio continetur.

Dilecti filii, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Pro noſtra & prædeceſſorum noſtrorum erga deuotiones veſtras, totamque iſtam fortiſſimam nationem beneuolentia, quæ facit, vt ſemper nos veſtri memores, veſtrorum commodorum atque honorum ſummam rationem habeamus: non dubitamus, quin vobis quoque in animo & memoria infixum ſit, quanta fuerit, vt qui ſemper noſtris iudiciis, noſtriſque ſtipẽdiis vos honeſtauerimus: veſtra autem virtus & veſtra fides nunquã prædeceſſoribus noſtris & nobis vlla in temporum varietate defuerit. Atque hanc tantam, & tam arctam inter nos amicitiæ cõiunctionem, quæ vtrique parti & honori fuit ſemper, & commodo: fuerunt tamen vafri & inſidioſi homines, perturbatores legum, morumque bonorũ, iidemque ſanctæ catholicæ & Apoſtolicæ religionis corruptores, qui ſeparare & diuellere conati ſunt. Quibus tantum fuit perfidus humani generis hoſtis, vt ex iſta fortiſſima & nobis cariſſima natione aliquos tamen à nobis potuerit auellere, magno cum dolore noſtro, tanquam è ſinu & complexu amantiſſimi patris dilectiſſimos filios. Quorum iacturam atque damnum etiam nunc lugere & lamentari non deſiſti-

ſiſtimus, deſiderantes & Deo reſtitui, & nobis: quos noſtræ curæ, diurnæque & nocturnæ cogitationes omnib. precib. apud Deũ, & aſſiduis lamentationibus requirunt. Illud tamẽ Deo, eiusque diuinæ bonitati & clementiæ referimus acceptum, quod pars de vobis in fide erga ipſum Deum, & erga ſanctam matrem Eccleſiam perſtitit; nec ſe alienari à cultu veræ & Chriſtianæ religionis paſſa eſt. In quo Deus miſericordiæ dominus & vobis, qui integri remanſiſtis, de ſpiritu ſuæ ſapientiæ effudit: & ſi qui gentis veſtræ decepti, & inducti improborum ſermonibus, in alienum ſenſum abierunt, illis tamen exemplum ante oculos impoſitum eſſe voluit conſtantioris & melioris partis, per quam aliquando poſſint facilius reſipiſcere, & reuerti ad eam ſanctam fidem, quam patres ipſorum, omnesque aui & maiores perpetuo curſu veterum ſeculorum in Catholicæ Eccleſiæ gremio tenuerunt. Cuius Dei voluntatis maximum eſt argumentum, quod pax & concordia inter vos, ne diſſidio quidem religionis, ex quo ſolent aſperrimæ ſeditiones oriri, infringi aut violari potuit, quam pacem veſtram & coniunctionem, nos optimum ſignum veſtræ probitatis, & optatæ ac ſperatæ nobiſcum conſenſionis habemus. At nobis quidem iam inde à noſtri pontificatus initio omnia tentantibus ac molientibus, quo his diſſidiorum atque hæreſium domeſticis malis occurreretur: cum & pro pace inter Chriſtianos Principes reconcilianda, ſicut notum vobis eſt, plurimum laboraſſemus: & lenibus primo remediis, ſcribendo, hortando, monendo iniquos hæreticorum animos placare ſtuduiſſemus: poſtquam cetera non ſatis proceſſerunt ad ſummum & maximum omnium huiusmodi malorum remedium, œcumenicum & generale concilium indicendum deuenimus. Et quoniam in Germania maxime hæc hæreticorum praua ſeges pullulabat, locum concilio habendo Tridentum elegimus, iuris & nationis germanicæ ciuitatem: ad quam illi commode venire tutoque commorari in ea, & tueri, ſi vellent, partes ſuas poſſent. Sperauimus enim id quod erat ſperandum, in tanta concilii generalis autoritate, cui ſemper reges Chriſtiani & populi plurimum detulerunt, in tanto conuentu venerabilium Epiſcopo-

rum,

rum, qui ex omnibus nationibus illuc collecti de summa fide catholica autore Spiritu sancto essent acturi, neminem fore tanta impietate præditum, qui non se tantæ diuinæ magis quam humanæ autoritati submitteret, qui non reiectis falsis suggestionibus improborum, iudicium vniuersum Catholicæ Ecclesiæ suspiceret. Quam etiam nunc spem, dilectissimi filii, de vobis retinemus, pacemque illam inter vos, quam omni laude dignam paulo ante diximus, tanquam ansam diuinitus nobis datam accipimus ad conglutinandos iterum vestros cum Deo & nobiscum animos: cum & qui fideles ac constantes è vobis manserunt, hoc certe animo obtemperandi sacro concilio sint futuri: & qui non sua culpa, sed quodam credulitatis errore (qui sæpe etiam bonis incidit) prolapsi sunt, autoritatem Oecumenici concilii & eius Spiritus sancti, qui cōcilium regit, non contemturi esse videantur: ad quod nos concilium tanquam ad cœlestem senatum quendam, cui Deus præest, eumque ipsemet & moderatur & gubernat, deuotiones vestras, sicut etiam ante fecimus, & incitamus & hortamur. Quod vero nobis præter omnem spem & expectationem accidit, vt inuenirentur inter Germanos, non pauci etiam de numero eorum, qui se dicunt esse Principes, qui Oecumenici concilii grauissimam autoritatem, potiusque diuinam (vt diximus) quam humanam, ita superbe insolenterque despicerent, vt non modo ad id se accessuros negarent, sed contumeliis & maledictis petulantibus atque nefariis omnem conciliorum sanctitatem improbissime insectarentur: seque nec concilii decretis staturos, nec illius autoritati tantulum delaturos dicerent: id nobis, vt vere loquamur, maximo dolori fuit. Vidimus enim hanc perditorum contumaciam, summam nobis necessitatem afferre, vt de vi atque armis esset cogitandum. Cum nec tantum animarum interitum, quæ hæresium venenis quotidie inficiebantur, nec conculcationem totius non magis ecclesiastici quam Christiani nominis atq; honoris, possemus amplius perferre. Quod alterū nobis pastorale officium, caritasque paterna, quam erga omnes fideles Dei filios atque nostros gerimus: alterum locus

atque

atq; honor, & summi pontificatus dignitas non permittebat. Sed nobis sæpe cogitantibus, quid agendum esset, Deumque precãtibus, vt is diuini sui consilii nobis lumen afferret: opportune accidit, vt carissimus in Christo filius noster Carolus Romanorum Imperator semper Augustus, cuius erga Deum omnipotẽtem & sanctam Catholicam Apostolicamque fidem singulare semper extitit studium, & præstantissima pietas, impiorum sceleribus, eisdem fere, quibus nos, offensus: & quod cum conciliũ germanicæ nationi ipsius præsertim postulatione & opera à nobis datum esset: qui id contemnebant, ipsius quoque & factum & autoritatem videbantur cõtemnere, sicut quidam aperte petulanterque faciebant: armis sibi constituerent violatæ fidei catholicæ sanctitatem ac vnitatem esse vindicandam. Cui nos occasioni tanquam nobis ab Deo, sine vlla dubitatione oblatæ studiose nos adiunximus, summique Imperatoris optimam voluntatem omnibus nostris & sanctæ Romanæ ecclesiæ opibus atque auxiliis iuuare constituimus: Deo hanc nostram operam & actionem tribuentes, cuius nomen honoremque defendimus. Nec volumus committere, vt, si lente negligenterque nos geramus, is postea tot filiorum animas, hæreticorum perfidia in interitum abductas, è nostra manu requirat. Quem animum nostrum & totam consilii nostri rationem volumus vobis dilecti filii nostris literis facere notam. Primum vt vobiscum, tanquam cum eis, quos carissimos habemus, curas & solicitudines, quæ nos premunt, communicaremus: deinde, vt vos etiam hortaremur ac rogaremus, vt animis piisque votis & voluntatibus vestris nobiscum esse, hoc est, cum Deo & cum Christiana religione velletis. Nam cum multa de vobis eximia & præstantia facta possint commemorari, nullum tamen futurum est præstantius, quam hoc, si cum Deo veterem coniunctionem & amicitiam, quam maiores vestri sancte coluerunt, aut seruaueritis, aut reconciliaueritis: si sedi Apostolicæ, quæ vos semper illustrare atque ornare conata est, pristinum vestrum amorem & cultum reddideritis: si nobis, qui vos paterna dilectione prosequimur, in hac dicta causa iuuanda & promouenda, vestra studia, vestraque auxilia adiunxeritis. Quæ omnia vt cum vestro summo cõmodo

modo & vtilitate fiant, & Deum omnipotentem, & vos ipsos cariſſimi filii, omni ſtudio rogamus atque cohortamur. Datum Romæ apud ſanctum Marcum, ſub annulo Piſcatoris. Die III. Iulii, 1546. pontificatus noſtri anno duodecimo.

Bloſius electus Fulgin.

EXEMPLVM EPISTOLÆ PAVLI III *Pontific. Roman. ad Epiſcopos & Abbates aliquot Heluetiæ.*

PAVLVS PAPA III &c.

VEnerabilibus fratribus, Sedunenſi & Curinenſi Epiſcopis, ac dilectis filiis, ſancti Galli & ſanctæ Mariæ de Valle, nec non ſancti Vrbani, & aliis Abbatibus in Heluetiorum & ſuorum confœderatorum dominio commorantibus, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum omnes Chriſtianitatis prælatos ad vniuerſale cōcilium Tridenti indictum pro noſtro, illorumque officio ſtudioſe conuocamus & cogimus: tum vos præcipue eccleſiam Helueticam referentes, cuius nationis populos, tanquam peculiares ſedis Apoſtolicæ filios & libertatis Eccleſiaſticæ defenſores, ſpeciali amoris noſtri prærogatiua cōplectimur. Idcirco à vobis tanto ſtudioſius excipi & ad effectum deduci debet, quanto ipſum concilium apertum, celebrarique cæptum, Gallicis & Hiſpanis ac Italis prælatis & aliis indies confluentibus, frequens iā eſt: ita vt vos ſuppudere poſſit, tam vicinos tam longinquis in conueniendo fuiſſe pigriores. Quod autem veſtra natio non parua ſui parte infecta hæreſibus, remedio ipſius concilii magis indiget, nulla in vobis mora quam primum conueniendi eſſe debuiſſet. Quam nunc tarditatem celeri debetis diligentia compenſare. Itaque remittentes iſthuc dilectum filium Hieronymum Franchum nuncium noſtrum, has ei ad vos dandas, iterataque miſſione vos monendos ac hortandos duximus, Apoſtolica autoritate, tenore præſentium monemus & hortamur, ac in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub vinculo iuramenti in veſtris promotionibus præſtiti, ceteriſque ſanctorū

Canonum districtionibus vos vrgemus, vt quantocyus, & omni mora postposita, ad dictum concilium proficisci, ibique ad pacē vniuersalem, sanationemq; & vnionem vestrorum populorum inter cetera omnibus studiis intendere debeatis, impleturi vestrum officium, & nobis post Deum, rem gratam & acceptam facturi: sicut idem Hieronymus nuncius hæc latius explicabit, cuius verbis plenam habebitis fidem. Datum Romæ, apud sanctum Petrum, sub annulo piscatoris, die XI. Aprilis M.D.XLVI. Pontificatus nostri anno duodecimo.

Blosius electus Fulgin.

Auscultata & collationata est hæc præsens copia à suo vero originali, nihil additum, nec immutatum. Quod attestor ego Albertus Rosyn Tigurinus, clericus Constantiensis diœcesis, publicus & Apostolica & Imperiali autoritatibus notarius, & in Archiuo Romanæ curiæ descriptus & matriculatus: in fidem manu propria conscriptus.

Ita attestor idem Albertus Rosyn manu propria.

EPI-

EPISTOLA IOHANNIS SLEIDAni Tridento scripta Anno 1552.

ORNATISSIMO VIRO DOM. ROGERO Aschamo, Anglo, Ioannes Sleidanus.

S. P. Ad meas Decembri mense scriptas, accepi responsum tuũ, datum XXVI. Ian. Calendis Febr. rursum ad te scripsi, quib. quidem ex literis intelligere potuisti, quid ad postremam sessionem hic à nobis actum sit. Tertia die Febr. cum altero Saxonico legato Venetias adiui, per Patauium & Vincentiam, & Veronam huc redii ad XVI. huius. Venetiis nihil erat rei nouæ: & alioqui sunt magni silentarii. Turca fertur ab eis petiisse trãsitum suis copiis, per ipsorum fines: an impetrauerit, plane ignoro. Vidimus armamentarium, quo nihil esse potest instructum magis: parant nouas triremes, aliaque nauigia, & his rebus omnibus destinatæ sunt, vt quidam nobis confirmabant, mille sexcentæ operæ. Tentatum ibi fuit nuper nescio quid, & ex suspicione comprehensos esse aliquot, mihi tum quidam arcane dicebat: hic autem fertur, Senatus scribam esse comprehensum, sed affirmare nihil possum. Vt suis rebus diligenter inuigilent, causam habent, & haud scio, an ipsorum interitus atque ruinæ initium ab ipsismet aliquando futurum sit: nam in illis æstuariis fluctuum, affectus etiam suos habent æstus. Hic plane nihil agitur: superiori quidem sessione decretum fuerat, debere *Theologos interea de matrimonio* disserere, sed plane cessatur, idque in gratiam nostrorum, vt quidem præ se ferunt, quos adesse velint: equidem optarim *Petrum Martyrem* posse huc etiam traduci, *& Caluinum, & Aepinum*, vt vna cum *Philippo Melanchthone* dogmatis facerent & confessionem & explicationem.

Concilii acta

Pridie quam huc redirem, audiebam in itinere, concilium iri prorogatum, propter bellorum tumultus: hic etiam ita mussatur, etsi alii negant. Quod si pacem cum Gallo faciet Iulius, non assentiente Carolo, tum certe crediderim dissipationẽ esse futuram concilii. Cardinalis Turnonius Romæ dicitur magna

Papæ conatus

cum lætitia fuisse exceptus, & diligenter agere de pace. De Turca non eadem est fama: parare dicitur ingentes exercitus & terra & mari: sunt qui dicunt, esse tenuissima valetudine ex phthisi, eiusque filium natu maiorem consociasse arma cũ Persis. Galliæ regis edictum in Lutheranos, vt habet titulus, diuulgatum Septembri mense vidisse vos puto: Pataui sum illud adeptus excusum. Habet Iulius per Italiæ partem illam suæ ditionis, & aliis etiam in locis inquisitores acerrimos. Monachi quidam duo nuper abducti sunt Romam captiui, Rauennas vnus, Ariminensis alter, qui *de cœlibatu sacerdotum, & cœna Domini*, liberius quædam dixissent. Venetiis mihi iam recens scribitur, Monachum quendã captiuum, ordinis Augustiniani, Roma remissum à Iulio Venetias, impetrata venia, palam in concione, doctrinam, quam antea professus fuerat, mirificis modis abiurasse ac detestatum esse, legato quodam Pontificio, & quatuor præsentibus Episcopis, ita quidem, vt populus etiam offenderetur: fuit hoc XIV. huius.

Sæuitia.

Posteaquam Iulius intellexit, cuiusmodi nostra sint postulata, & quæ doctrinæ confessio per Wirtembergẽsem exhibita, parum, opinor, afficitur. Hic etiam rumor est, legato hic suo valde iratum esse, quod tali, vt vocant, saluo conductu nobis cauerit, quodq; sessionis prorogationem indulserit. Non eadem õmnes spectant in his actionibus: quanquam in hoc vno mirabilem esse puto consensum, vt videlicet dogma istud Lutheranum omne pessumdetur, & aboleatur in perpetuũ. Viennensis hic mortuus est, ad sextum huius, & aliquot diebus post domum relatus. Treuirensis ob incommodam valetudinem domum repetit: Qui cũ ipso huc venit monachus quidam *Pelargus*, in concione habita huius mensis die VII. per occasionem eius loci, qui est de zizania subcrescente in tritico, multa dixerat *de hæreticis quocunque modo tollendis*, ita tamen vt triticum non læderetur. Alii quidam hoc etiam addidisse ipsum ferebant *non esse nobis publicam seruandam fidem*: qua quidem recognita, Saxonicus legatus alter, qui hic remanserat, ad Cæsaris hic legatos questus est. Accersitus Monachus vt rationem redderet sui dicti, negauit hoc posterius, de hæreticis vero loquutum se dicebat in genere, & illum Scripturæ locum sic interpretatum esse, de Augustini sententia: fatebatur etiam

Indignatio in legatum.

zizania

etiam,quod si alterum illud dixisset, in pœnam se capitis incurrisse,propter violatum concilii decretum.

Septima huius mensis die publici fuerũt hic ignes excitati ab Hispanis & Italis ob electionem XXI. vero propter coronationẽ Iulii III. Papæ & postridie missa peracta solemnis eandem ob causam,& centum,opinor,annorum indulgentiæ, vt vocant, iis,qui interessent,attributæ. *An non pulchre resipiscimus? An nos anteactorum pœnitet? ô ludibrium?*

De Domino Redmanno quæ scribis, magna cũ voluptate legi,quibusdam etiam hic recitaui,& sane exemplum est, quod omnium permouere possit animos: verum accidit hodie, de quo, post Esaiam,Christus etiam loquitur,vt plerique sapientiæ titulo turgidi,nõ videant videntes,ac audientes non audiant. Theologorũ *Parisiensium* articulos doctrinæ, superioribus annis editos, nuper autem renouatos,pro cõcione Rex iussit dieb. quibusque festis ad populum recitari & explicari:vidisse vos illos puto. Quã sunt astuta & insidiosa hominum consili. ? *De Mauricij* ad vos aduentu,non idem est sermo. Lusitani filius hoc mense fertur vxorem duxisse Cæsaris alteram filiam, de reditu filii rumor etiã est. Emi Venetiis historiam *Bembi* de Rep. Veneta: num ea sit vobis ante hac visa,nescio. *Paulus* etiam *Iouius* tomum primum sui temporis historiarũ edidit. Quod de meo negocio nihil adhuc certi cognoscam,valde miror,inprimis vero D. R. silentium. Oro plurimum,vt D. legatus ne cesset interpellare ac solicitare. Nã progrediente regis ætate,facilior esse deberet eius rei confessio,quã ipsemet recte potest intelligere. Te quoque rogo,vt quantum omnino potes, tam præclarum & vtile institutum promoueas. Priusquam domo discederem, quod fuit initio Nouembris, copiose scripseram ad D. Checum: ad ea nihil esse renunciatum qui fiat,nescio:multumque me fallit expectatio. D. legato velim esse quam commendatissimus. Vale.

Tridenti, vltima Februar. Anno M. D. LIII.

PROTESTANTIVM IMPERII Statuum Rationes,

Cur Synodus illa, quam PAVLVS Roman. Pontifex eius nominis III. Mantuæ celebrandam parum candide indicit, & se habiturum esse significat, neque æqua videri possit, neque vtilis Ecclesiæ: vnde & ab ijs, qui sacrosanctum Euangelium ineffabili Dei misericordia reuelatum acceperunt, atque Ecclesiæ Christi consultum esse volunt, optimo iure, vt suspecta recusari debeat: Regibus & Monarchis præsertim exterarum nationum adeoque omnibus bonis viris exposita. Anno M.D.XXXVII.

EDidit Romanus Pontifex Paulus III. Bullam, qua indicit generale Concilium Mantuæ celebrandum & inchoandum proximo die XXIII. Maii. suas etiam quasdam causas in Bulla commemorat, quare Synodum conuocarit. Adhæc nuncios misit ad Reges & Principes Christiani nominis, qui significent eis concilii indictionem, & hortentur, vt ad eam Synodum seu veniant, seu mittant Oratores, qui ipsorum nomine intersint.

Itaque cum ad nos venisset nuncius Pontificius, nosque similiter hortatus esset, vt interesse Synodo aut mittere procuratores velimus, quemadmodum petiuit idem à nobis inuictissimus Imperator Carolus Augustus, Dominus noster clementissimus: existimauimus & nostra causa, & propter totius Ecclesiæ necessitatem plane exponendum esse, quæ pericula allatura esset hæc Synodus indicta à Romano Pontifice PAVLO III. Etsi autem pro consilio & bona conscientia, re diu disputata ac deliberata, sententiam nostram ostendimus: tamen non dubitabamus, quin hic responsum nostrum aduersarii multis modis calumniaturi ac deprauaturi essent. Nec vero in tantis rebus vllum plausibilius argumentum reperire possunt, quo magis prægrauent nos, causam nostram obruant, ac ma-

ac magis odium nostri apud omnes gentes accendant atque inflamment, quam si criminentur nos, quod Synodi iudicium atque auctoritatem defugiamus.

Affingent etiam, nos aliarum nationum iudicia contemnere, quæ amorem religionis maximis gestis rebus declarant, quæ iam olim multos clarissimos Doctores Ecclesiæ pepererunt. Postremo, vbi etiamnum sunt maxima studia doctrinæ Christianæ.

Addent Synodorum recusationem indignam esse Christianis, cum Synodi sint summa Ecclesiæ iudicia. Adducent nos in suspicionem, quasi aut nos pudeat causæ nostræ, quare eam in lucem proferre nolimus, aut ita delectemur dissidio orbis terrarum, aut temere nos à ceteris nationibus separare, & prohibere, quominus coeat concordia, cupiamus.

Cum his criminibus nihil atrocius cogitari possit, maxime nobis laborandum esse existimamus, vt huiusmodi calumnias refelleremus, & suspicionibus, quantum possumus, occurreremus, & opinionem ac voluntatem nostram de huius Synodi indictione omnibus Regibus exponeremus. Speramus enim, cognita nostra voluntate, non solum nos satis purgatos fore omnibus Regibus, Principibus & bonis viris apud omnes nationes, sed etiam ipsos suum iudicium atque auctoritatem addituros esse, & petituros, vt Ecclesiæ recte consulatur, nec per speciem Synodi paucorum tyrannide veritas opprimatur. Ostendemus enim, nos non solum ab hæresibus & impiis dogmatibus abhorrere, sed etiam alienissimos esse ab arrogantia & pertinacia.

Nam adeo non contemnimus iudicia aliarum nationum, vt hoc ipsum agamus, ne Papa cum suis iudicium sibi sumat, sed idonei & non partiales deligantur ad examinandam causam. Nec vero dubitamus, quin tacite vbiq; terrarum gemens Ecclesia omnibus hoc votis optet. Extant scripta quorundam doctorum virorum vetera, qui apud exteros floruerunt, qui deplorauerunt Ecclesiæ calamitates, & eosdem errores taxarunt, quos nostri reprehendunt.

Horum virorum similes aliquos alibi esse in tanta frequentia stu-

tia studiorum omnis generis, credibile est, sed multi oppressi tyrannide Pontificia, seu metu, seu suo quodam consilio tacent, quibus erat potestas dicendæ sententiæ faciendæ. Nec Synodos defugimus, sed id, quod iustissimum esse, omnes intelligunt, verum iudicium synodi permitti petimus, in quo pii & docti, non partiales, damnent pugnantia cum verbo Dei.

Non est enim synodus vera & legitima, in qua Pontifices, qui iniusta damnatione Ecclesiam oppresserunt, cognoscunt res, pronunciant ex suis traditionibus ac consuetudine contra verbum Dei. Christus cum constituit summum Ecclesiæ iudicium, inquiens, *Dic Ecclesiæ*, prohibet tyrannidem, & certe vult, vt Ecclesia ex verbo Dei statuat, non ex humana aliqua auctoritate.

Rogamus itaque Reges & Principes exterarum nationum, ne putent aliarum nationum iudicia à nobis paruipendi, aut Synodos contemni, nec fidem habeant aduersariis nostris, qui his calumniis intendere odia, & obruere puriorem doctrinam, quam profitemur, conantur.

Nec videri possumus latebras quærere aut formidare lucem. Exhibuimus Cæsareæ Maiestati & omnibus ceteris principibus atque ordinibus Imperii confessionem doctrinæ, publice in Ecclesiis diligenter & assidue tradi hanc doctrinam, quam profitemur, curamus. Extant etiam scripta eorum, qui apud nos docent, quos in multis locis præclare meritos esse de Ecclesia, etiam aduersarii paulo saniores fatentur. Iacuit enim antea oppressa doctrina Christiana densissimis tenebris, videlicet impiorum cultuum, monasticarum cæremoniarum, perplexarum quęstionum & cauillationum. Ex hac caligine postquam iterum, Dei beneficio, per homines pios & doctos apud nos euolui doctrina Christiana cœpit, de vera pœnitentia, de fide, qua consequimur remissionem peccatorum, de spirituali iustitia, de vsu sacramentorum, de potestate Ecclesiastica, de discrimine & vsu traditionum, de dignitate rerum ciuilium, deque aliis multis locis, constat plurimum lucis Euangelio ex scriptis nostrorum accessisse. Has tantas res libenter in lucem proferemus, & (vt Paulus inquit, non pudet me Euangelii:) ita nec nos pudet has res maxi-

maximas Ecclesiæ necessarias, vtiles ad pietatem & bonos mores, & ad communem tranquillitatem in illa Synodi luce omnibus Regibus & Principibus, omnibus nationibus exponere, & quantum satis est, explicare. Magnitudo enim & vtilitas harum rerum, si recte intelligātur, omnes pias mentes capit. Quare maxime optamus talem cœtum, in quo & nobis liberum sit res nostras explicare, & bonis mentibus liberum sit pronunciare iuxta verbum Dei.

Falsissima enim calumnia est, quod aduersarii sæpe iactitāt, spargi à nostris errores olim damnatos, & renouari veteres hæreses, ideoque negant opus esse cognitione. Nec difficile est refutare hanc calumniam prolata nostra confessione. Nam hæc pura Euangelii doctrina, quam amplexi sumus, est haud dubio ipse consensus Catholicæ Ecclesiæ Christi, sicut testimonia veteris Ecclesiæ & S. Patrum perspicue docent. Non enim recipimus & approbamus vllas opiniones absurdas & pugnantes cum sensu S. Patrum: imo in multis articulis renouamus veterum Synodorum & Patrum dogmata, in quibus aduersarii impudenter cum patrum iudiciis & auctoritate synodorum pugnant. Postremo, quod de discordia dicitur, profecto nihil est nobis acerbius, quam dissidia nationes Christiani nominis. Ac nos quidem à vera vnitate & cōsensu Catholicæ Ecclesiæ Christi nunquam discedemus. Eamque ob causam optanda est vera Synodus, vt vniuersalis & pia concordia constitueretur. Sed cum Papa damnat veram & piam doctrinam Ecclesiæ necessariam, & exercet sæuitiam in pios propter piæ doctrinæ professionem, cogimur mandato Dei dissentire à Papa, & ab iis, qui eius impietatem approbant. Est enim retinēda professio veræ doctrinę, iuxta illud Christi: *Si quis confitebitur me coram hominibus, confitebor eum coram patre meo cœlesti.* Nec licet nobis fieri socios & administros iniustæ crudelitatis Papæ. In Imperio constat, nos summa fide communem cōcordiam in rebus ciuilibus tueri. Quare non est verisimile, nos in religione delectari dissidio. Deinde intelligimus, quanto cum periculo dissentiamus ab aliis. Papa tot annos iam hoc præcipue agit, vt Reges perpellat, vt bellum aduersus nos moueant. Tantum periculi non susciperemus, nisi sciremus Deum requirere,

vt anteferamus omnibus rebus, vitæ nostræ, dignitatibus, fortunis, trãquillitati, professionem veritatis. Quare testamur Deum, nos non cupiditate aliqua, sed tantum propter Deum hanc causam defendere. Ac magnopere rogamus omnes Reges & Principes, ne aliter de nobis persuaderi sibi sinant.

Depulsis calumniis & purgatis suspicionibus, speramus omnes æquioribus animis audituros esse, quid nobis de hac indictione Synodi facta à PAVLO III. videatur. Fortasse aliqui arbitrantur, nos curiositate aliqua leues quosdam abusus reprehẽdere, quos dissimulare propter communem concordiam satius ac melius videretur, præsertim cum tanta sit infirmitas rerũ humanarum, vt quædam vitia condonanda sint communi trãquillitati. Qui ita de nobis iudicant, longe falluntur. Primum enim errata doctrinæ non sunt dissimulanda. Deinde nos non de leuibus erratis disputamus, sed proferimus doctrinã de fide & multis aliis articulis necessariam ad salutem animarum, & reprehendimus errores, qui gloriam Christi obscurãt: item continent horribilem profanationem & idololatriam. Quare etiam ante hęc tempora quidam boni viri Synodos expetiuerũt, vt Ecclesia cõmuni deliberatione his morbis nequaq̃ leuibus aut contemnendis mederetur. Magis autem hoc tempore opus est tali Synodo, quæ sanet Ecclesiam, cũ & errores illi veteres hærent in Ecclesia, & extitit discordia, & multis in locis exercetur sæuitia iniusta propter piam doctrinam. Quare non solum nos, sed etiam inuictissimus Imperator & Electores & ceteri Principes atque Episcopi, etiam in Germania censuerũt, Ecclesiæ opus esse libera & Christiana Synodo, hoc est, tali, in qua iuxta verbum Dei discernatur vera & pia doctrina ab impia, & impia damnetur, vera vero conseruetur. Videbant enim periculum fore, ne mala publica magis exulcerarentur, quam sanarentur, nisi talis Synodus haberetur. Ideo & nos talem Synodum flagitauimus & ad talem prouocauimus: cumque expectaremus talem Synodum, Rom. Pontifex edit indictionem concilii minime congruentem deliberationibus Imperatoris in imperio & ceterorum Principum.

Itaque cum non modo nostro periculo moneremur, sed iudicare-

dicaremus agi causam Ecclesiæ communem, duximus ad omnes Reges & Monarchas scribendum esse, quare hæc Synodus, quā Pontifex hoc modo indixit, & habiturū se esse significat, neque æqua videatur, neque vtilis Ecclesiæ, & petēdum, vt Reges & ceteri Potentatus propter gloriam Dei & communem salutē dent operam, vt habeatur Synodus pia & libera, in qua non committatur cognitio doctrinæ Rom. Pontifici, sed liberū sit piis & doctis, profiteri verbum Dei. Nā vt sit auctoritas Synodi firma, vt opem ferat Ecclesiæ, præstandum est, vt cognitio tantarū controuersiarum rite fiat. Summum in Ecclesia iudicium nequaquam est Pontificis, sed ipsius Ecclesiæ, hoc est, non tantum Episcoporum, sed etiam Regum, Principum & aliorum ordinum, qui & ipsi sunt Ecclesiæ membra.

Itaque etiamsi in hac dissensione Pontifex non esset pars: tamen non esset ei concedēdum, vt ipse cū illis, qui ei addicti sunt, iudicaret, ac reliquis ordinibus ius eriperet, quod in Ecclesia habere & tueri debent. Multo magis in hac causa, cū constet, Pontificem cum suis esse partem, præstandum est, ne ipsi permittatur cognitio aut iudicium, cum & diuina iura & lex naturæ, quæ diuinitus in mentibus hominum lucet, clamitent, nulli homini concedendum esse, vt sit iudex in propria causa. Nos autem Rom. Pontificem & ipsi addictos accusamus non de leuibus rebus, nec tantum de dignitate aut opibus ipsius disputamus, sed reprehendimus eius doctrinam, traditiones, cultus quos instituit aut defendit; Id est, accusare Pontificem de hæresi & de idololatria, quarum maximarum rerum diiudicationem etiam canones tribuunt Ecclesiæ, non Pontifici. Deinde Pontifex non tantum est pars, sed multis præiudiciis iam damnauit causam nostram. Extat bulla Leonis edita contra doctrinam, quam nos amplexi sumus. Damnatur etiam eadem doctrina quotannis in bulla cœnæ. Mandat Pontifex vbique, exercere sæuitiam in omnes, qui hoc doctrinæ genus amplectuntur. Cum tot præiudiciis iam nos damnauerit, non est existimādum, quod Concilium Pontificis hæc præiudicia correcturū sit, aut sit futurum æquius aut mitius. Neque vero credibile est, Papam ius dicendi concessurum esse aliis.

Neque aliud sentit esse concilium, nisi cœtum suorum, cui ipse præsideat, & cui soli tribuit ius suffragii: ideoque sic indicit synodum, tantum vt vocet sibi addictos.

Iure igitur suspecta est nobis hæc Synodus, quia Papa in indictione non ostendit, se iudicium permissurum esse non partialibus: imo vocat suos diserte, vt intelligamus, quales processus velit instituere. Ipse, cum sit pars, volet esse iudex. In hanc indictionem si consentiremus, postea interpretaretur nostrum consensum, quasi nos ipsum iam fecissemus iudicem, & in hunc cœtum suorum, quem conuocat, consensissemus, huic permisissemus, vt processus & formam iudicii constitueret.

Tertio Bulla ipsa satis perspicuas & iustas causas recusationis nobis proponit. Nam in ipsa statim indictione nos damnat, in qua non promittit cognitionem aut disputationem doctrinæ, sed tantum ait, indici synodū *propter nuper exortas hæreses*, item *ad extirpationem hæresium*. Quod etsi in speciem generaliter dici videtur: tamen Papa haud dubie voluit describere & notare nostram doctrinam, quam nos profitemur. Nam suos errores, quos defendit, non vocat hæreses.

Adhæc, ne cui dubium sit, in illa ipsa Bulla indictionis intelligi nostram doctrinam, Papa deinceps in Bulla reformandæ curiæ expresse nominat doctrinam, vbi eandem sententiam recitat de causis indicti concilii. Ait enim, *ad extirpationem Lutheranæ hæreseos*. Ac veteratorie Papa alibi dissimulat nomen doctrinæ, vt honestam speciem offunderet oculis hominum, & tamen suum præiudicium significaret. Est ergo sententia Papæ non dubia, se indicere Synodum, vt ibi deliberaretur, quomodo Lutherana doctrina extirpetur, cum sit vt ipse eā vocat, hæresis. Quare amentia esset, in talem indictionem consentire, fateremur enim, nostram doctrinam esse hæresim, polliceremur operam ad extirpandam eam. Hoc enim vult illa forma indictionis insidiosissime posita.

Primum enim receptione Bullæ, Papa eos qui recipiunt, sibi assentiri intelligit, quod doctrina nostra sit hæresis notoria: deinde etiam tacite obligat eos, vt adiuuent extirpationem. Si agamus ingenue sine fucis, sine sophistica, necesse est fateri, hāc esse

esse ipsissimã mentem Bullæ. Itaq; si in hanc indictionem cõsentiremus, doctrinam nostram vltro testimonio nostro cõdemnaremus. Has insidias vt ceteræ nationes obseruent, magnopere propter communem Ecclesiæ vtilitatem petimus. Ac sæpe miramur, quo consilio Papa voluerit hac forma Bullæ vti, an vt arte deterreret nos à Synodo, an vt nobis laqueos iniiceret, vt si consensissemus, obiiceret, nos recepta Bulla confessos esse doctrinam nostram hæreticam esse. Sed videtur præcipue hoc spectasse, vt Reges & ceteras nationes hac forma sibi obligaret, vt recepta Bulla assentirentur, doctrinam nostram esse hæreticam, & coniungeret eos, armaretque ad eam extirpandam. Non dubitamus, Cæsaream Maiestatem cupere in commune consulere Ecclesiæ, & gloriam Christi illustrare. Quare existimamus, ei nequaquam probari talem indictionem plenam præiudiciorum & insidiarum.

Quarto, in hac indictione nulla fit mentio cognitionis, nihil de forma processus dicitur. Si hoc tantum agitur, vt domum afferant singuli præiudicium ex Bulla sumtum, quod hæc doctrina sit hæretica, & postea eatur in suffragium, quod communibus armis exstrpanda sit, iustissime renitamur hanc Synodum mere tyrannicam, & dissimillimam iudicii Ecclesiastici, quod debet habere cognitionem doctrinæ ex verbo Dei: talem nos cognitionem flagitauimus: cumque arbitremur, Cæsaream Maiestatem etiam velle, vt recte consulatur Ecclesiæ, & controuersiæ grauissimæ explicentur & rite cognoscantur, desiderabit ipsa Cæsarea Maiestas in forma indictionis æquitatem. Nunc spargit Papa in totum orbem terrarum non tam indictionem concilii, quam sententiam, in qua nos condemnat, & atrociter nobis minatur.

Addit alteram Bullã de reformatione Curiæ, in qua nos expresse condemnat, postea petit à nobis, vt indictioni suæ assentiamur. Quod si faceremus, nostro testimonio causam condemnaremus. Non volumus hæc copiosius exagitare, sed rogamus omnes Reges & omnes prudentes vbiq; terrarum, vt expendant, quam non simpliciter, quam insidiose, quam inique hæc indictio Concilii proposita sit.

Quinto, illud certe non patietur Pontifex, iudicari controuersias ex Euãgelio & Apostolicis scriptis, sed volet eas iudicari ex Pontificum traditionibus, ex consuetudine, ex humanis opinionibus, & ex recentiũ conciliorum decretis. Non sinet auctoritatem suarum traditionum labefactari aut in dubium vocari. At hoc caput est in ipsis controuersiis, ne traditiones pugnantes cum verbo Dei valeant. Amplectimur nos quoque & defendimus totis pectoribus consensum Catholicæ Ecclesiæ Christi, sed erroribus Pontificiis & tyrannidi non est prætexendum nomen Ecclesiæ.

Catholica Ecclesia sanctorum Patrum non probabat traditiones pugnantes cum Euangelio, non tribuebat infinitam potestatem Rom. Pontifici. Deinde illa Ecclesia, quæ doctrinã Euangelii puram hostiliter persequitur, & exemplo Cain furenter grassatur vi & suppliciis in pios, nõ est Catholica Ecclesia Christi. Nec nos vllum nouum dogma inueximus in Ecclesiam, sed Ecclesiæ Catholicæ doctrinam renouamus & illustramus, Papæ & Monachi nouam doctrinam, nouos cultus excogitarunt contra auctoritatem verbi Dei, & contra veteris Ecclesiæ Catholicæ consensum. Quare tali concilio opus, in quo Ecclesia non ex consuetudine aut humanis traditionibus pronunciet, sed ex verbo Dei, cuius sententia est perspicua, & illustrata consensu Catholicæ Ecclesiæ.

Extant vetera grauissima exempla S. Patrum, qui Synodos defugerunt, quanquam auctoritate summa indictas, cum suspicabantur, non hoc agi, vt veritas patefieret, sed vt stabiliretur aut tyrannis, aut impium aliquod dogma. Constantius Imperator Synodum Antiochiæ coegit frequentissimã, ad hanc noluit accedere Maximus Episcopus Hierosolymorum, cum non procul distet Antiochia ab Hierosolymis, sed norat, quo voluntas Constantii propendebat, vel potius quid machinarẽtur illi impostores, qui mirificis technis deprauabant Imperatoris animũ. Athanasius cum venisset in Synodum Tyriam, tamen inde fugit ad Imperatorem, postquam vidit ab ipsa Synodo subornatos & instructos esse quosdam sycophantas, qui veritatẽ per calumniã opprimerent. Nec venit in Seleuciam, quo Cæsar eum vocarat.

Ne

Ne alii quidem Mediolanum & Ariminum. Non enim volebant Synodorum auctoritatem valere ad delẽdam veritatem. Eadem ratio nos quoque mouet, vt illorum summorum virorum exemplis cauendum putemus, ne nostro consensu confirmemus Romanum Pontificem, vt veritatem facilius opprimat.

Si illi sancti patres recte Synodos defugerunt, non statim á nobis alienari voluntates suas boni viri patiantur hac criminatione, quod Synodos defugiamus. habemus enim perspicuas & iustas causas nostri consilii.

Sexto, Locus etiam concilio designatus auget pericula, quia est in ea regione, in qua Papa contrahere plurimos sibi addictos potest, vt facile multitudine suffragiorum nos obruat. Alibi essent æquiora & liberiora iudicia aliarum nationum. Et aduersarii apud exteras nationes onerarunt nos infinitis calumniis, & nostras defensiones vetuerunt importari, spargi, legi. Ideoque cum multi de nobis habeant falsas & atroces suspiciones atque opiniones, prodesset exteros homines coram videre statum Ecclesiarum nostrarum & ciuitatum. Præterea negotia sunt eiusmodi, vt necesse sit ipsis Principibus interesse cognitioni doctrinæ: sed non est tutum eis relinquere ditiones opportunas aduersariis, nec in ipsa Mantua sine periculo esse possunt.

Denique non sine grauibus causis in Imperio deliberatũ est, quod expediat, vt Synodus in Germania habeatur. Ab hac communi Imperatoris ac Principũ deliberatione cur discedendum sit, non videmus, qui certe in loco eligendo rationem publicæ vtilitatis & tranquillitatis habuerunt.

Exposuimus causas, quare hanc Synodum, quam Papa indixit, iure suspectam ducamus, quia Papa, quanquam sit pars, & nos multis præiudiciis damnauerit: tamen volet cum suis esse iudex in Synodo. Deinde cognitionem nullam veram promittit, imo nos iam in ipsa indictione condemnat. Ideo non possumus consentire in hoc concilium.

Rogamus igitur omnium nationum Reges & Principes, ne calumniis aduersariorum nostrorum fidem habeant, qui recusationem Synodi odiose traducent, sed considerent

causas

causas illas grauissimas, quas recensuimus, quas (vt speramus) intelligent esse iustissimas. Certe enim non possumus Pontifici & iis, quos habet addictos, permittere iudicium, nec consentire in concilium, priusquam sciamus, an velint concedere, vt delecti idonei, non partiales, libere dicant sententias iuxta verbum Dei. Nam si consentiremus in hoc Concilium, quod Papa conuocat, postea patiendum esset iudicium Pontificis & sui cœtus. Allegaret enim, nos in hoc concilium consensisse, cum nos prouocauerimus ad Christianam & liberã Synodum. Hæc est perspicua & non fucata & iusta causa recusationis, quam speramus neminẽ improbaturum esse. Deinde nec in hanc ipsam indictionem consentire possumus, quæ cum nos condemnet, si eam reciperemus, nostro testimonio nos condemnaremus.

Cum autem hæc nostra causa ad communem salutẽ Ecclesiæ pertineat, quam Deus inprimis summis Regibus ac Principibus commendauit tuendam & ornandam: rogamus vt auctoritate sua in hoc negotio intercedant & efficiant, vt talis habeatur Synodus, quæ sanet Ecclesiam, & constituat piam, veram & durabilem concordiam, videlicet Christiana & libera, in qua libere statuatur iuxta verbum Dei. Hoc officio Reges bene merebuntur de tota Ecclesia & de omni posteritate, & *Deo* cultum gratissimum præstabunt.

Indignissimum enim est, quod petit & molitur Papa, vt Reges adducat, vt ipsius impietatem & tyrannidem stabiliant, & exerceant iniustam crudelitatem in pios rectæ doctrinæ assentientes.

Hæc à Regibus longissime debent abesse, quos *Deus* in hoc fastigio collocauit, vt curent propagari verbum *Dei*, & ornari gloriam Dei, & defendant innocentes, & præcipue eos, qui propter veram doctrinam periclitantur. Quod si huiusmodi Christiana & libera Synodus habebitur, & instituetur examinatio doctrinæ iuxta verbum Dei per homines idoneos, non partiales, efficiemus, *Deo* iuuante, vt omnes boni viri intelligant, nos omnia, quæ ad vniuersæ Ecclesiæ salutem & ad communem & veram concordiam conducunt, in tali Synodo summo studio & optima conscientia agere & suscipere.

Com-

Commendamus itaque nos serenissimis Regibus, & illustribus Principibus exterarum nationum, & vicissim eis nostra officia cum summa obseruantia deferimus. &c.

BREVIS EXPOSITIO CAVSARVM, OB QVAS ILLVSTRISS. ELECTORES, PRINCIPES *& Ordines imperij Germanici sinceram & Orthodoxam Religionem amplexi, Concilium Tridentinum haud agnoscant: eiusque diffinitionibus stare recusent.*

Serenissimi & potentissimi S.R.Imp. Electores, aliique Principes & Ordines Germaniæ, Religionis sinceræ studiosi, tũ eo tempore, quo primum à Pontifice Romano Paulo III. Anno 1545. Tridenti, post Mantuæ, Concilium indictum; tum eo, quo à Pio IV. ad Annum 1562. redintegratum fuit, grauamina sua & causas legitimas recusationis istius concilii, scriptis publicis, Orthodoxæ fidei tuendæ, suique apud Cæsaream Maiestatem purgandi causa, prolixe exposuerunt. Earum Synopsin aut epitomen si Lectori pio subiiciamus, haud ingratum ei fore nostrum hoc officium, confidimus.

Prima causa est: quod concilium Tridentinum illigitime indictum sit: Quia Papa Romanus nec diuino nec humano iure, nec antiquissimorum canonum, vel purioris Ecclesiæ exemplis aut consuetudine, potestatem habeat cogendi concilia: sed Imperatores & Reges.

II. Causa est: Quia in Imperii Comitiis semper & postulatum & promissum fuit liberum concilium in ipsa Germania celebrandum, loco opportuno, ad religionis discidia concilianda, nationisque Germanicæ status pacandos. At Tridentinum non fuit tutum, ob incommoditates loci, extra Germaniam, in finib. Italiæ siti, angusti, nec accessus ita facilis, vel etiam securi: sed multis nominibus suspecti.

III. Quia concilium non fuit Oecumenicum & vniuersale,

ſed Pontificium ſaltem aut Papale: in quo Papa ſolus ſummam præſidendi, iudicandi & decidendi poteſtatem ſibi vendicauit, & per Cardinales, Epiſcopos, & Prælatos ſibi mancipatos vſurpauit.

IV. Quia non fuit liberum, ſed ſeruum: in quo vocibus liberis parum loci relictum, nempe præſidentibus aduerſariis, Cardinalibus Epiſcopiſque Papæ iureiurando obſtrictis, ſolis ſuffragandi & definiendi ius ſibi arrogantibus: Clericis item & Monachis aulæque Romanæ paraſitis, mancipiis ac creaturis applaudentibus: perinde ac ſi docti, pii, prudentes alii viri totius orbis, nil iudicii, nil ſcientiæ rerum diuinarum aut Eccleſiaſticarum haberent.

V. Quia non fuit Chriſtianum: vt in quo non Chriſtus & verbum eius ſacroſanctum præualuit & vocẽ deciſiuam habuit: ſed Papa, traditiones Pontificiæ, priorumque Conciliorũ (quæ plurimis in rebus erraſſe, demonſtratũ facile eſt) determinationes.

VI. Quia curia Romana, & Regnum Pontificium ſcatet tam fœdis vitiis & ſceleribus, luxu, auaritia, ſuperbia, libidinibus, vt iam olim plurimi quæſti ſint de flagitiis & tyrannide ſtatus Eccleſiaſtici, & reformationem poſtularint, ſed fruſtra.

VII. Propter Simoniam Pontificum & aulæ Romanæ: quod ſcelus adeo enorme eſt, vt ipſi Canoniſtæ vocent id idolorum cultum, & Simoniacos Idolorum ſeruos.

VIII. Ob falſam doctrinam Pontificiorum: vt de inuocatione & cultu: imaginibus & ſtatuis, & interceſſionibus ſanctorũ: de libero arbitrio, iuſtificatione, meritis operum: de Sacramentis, baptiſmo & cœna: de Miſſa: de pœnitentia: de communione ſub vna ſpecie: de coniugio, & cœlibatu: de variis traditionibus, & conſecrationibus plane ſuperſtitioſis aut idololatricis: denique de Papæ poteſtate ſumma, immenſa & tyrannica: quaſi iudex omnium ſit, à nemine iudicandus; vt qui diuina & humana iura omnia habeat in ſcrinio pectoris ſui. &c.

IX Cauſam recuſandi concilium præbuerunt impia decreta promulgata primis ſtatim conſeſſibus ſub Paulo III. Anno 1546. vt, Traditiones Eccleſiæ Romanæ pari reuerentia ſuſcipiendas eſſe cum verbo Dei ſcripto. Libros apocryphos, Iudith,

Tobiæ

Tobiæ, Baruch, Macchabæorũ &c. esse paris autoritatis cũ Canonicis ac ꝓ Canonicis habendos: Vulgatã versionẽ Latinã esse authenticam, quam nemo reiicere quouis prætextu audeat. Item, quod Papa sit summum caput Concilii & Ecclesiæ: quod Episcopis populum liceat docere per substitutum Vicarium, & similia: Quæ potius antiquanda & abolenda fuerant in posteriori concilio Anno 1562. sub Pio IV. quam stabilienda vel defendenda. Verum attulerunt illi Patres anteriora sua præiudicia, voluntatem item & animum damnandi Euangelicos, & antea factas condemnationes exsequendi.

X Causa: Docent historiæ & ipsa experientia, concilia Pontificia magis accendisse quam extinxisse flammas discordiarum: & à Papis indicta pro suo primatu & potentia, fuisse infelicia seminaria & tubas turbarum, imo immanissimorum bellorum ciuilium: qualia vidit ætas nostra in Gallia, & prouinciis Belgii: ne dicamus de aliis regnis: in quibus horribilem humani sanguinis effusionem ac immanes lanienas, sacri istius Concilii executio peperit.

XI Causa recusati concilii fuit & est Papæ superbia nefanda, quæ status imperii Germanici Euangelicos non indigne solum aspernatur & contemnit; sed impie quoq; excommunicat, anathematis fulmine ferit quotannis, & ad inferos damnat, ac orthodoxos infestat & interficit.

XII. Ob periculum conscientiæ, quam sauciare nec debent nec volunt Protestantes, deserendo veram, sinceram, Orthodoxam religionem: cuius indubitatam certitudinem eam agnoscant & sentiant, nec confessionem per conscientiam defugere possint.

Atque hæ quidem allatæ sunt à Germanis Protestantibus rationes, ob quas in Concilium Papæ non potuerint consentire: quarum fusiorem explicationem & demonstrationem si forte lector desideret, adeat ac studiose perlegat librum ab illis Teutonica pariter & Latina lingua publicatum, cui titulus est: *Concilij Tridentini restitutioni, seu continuationi à Pio IV. Pontifice anno 1562. indictæ, Decretisque tunc editis opposita grauamina: Quibus & causæ necessariæ & grauissimæ exponuntur, quare Ele-*

ctores, Principes, Ordines Imperij, Augustanam confessionem amplexi, concilium illud neque agnoscere neque audire voluerint.

Hæc Grauamina pro defensione sinceræ & Orthodoxæ religionis, proposita primum in Naoburgico conuentu Principũ, Anno 1561. deinde repetita, atque oblata Maiestati Cæsareæ in Imperii conuentu publico, qui ob Electionem & Coronationẽ Inclyti Regis Rom. Maximiliani II. Anno 1562. habitus fuit Fräcofurti: tandem summorum quorundam Imperii Ordinum mãdatu & voluntate, à delectis ad hoc Ecclesiarum suarum Doctoribus, & Consiliariis politicis, vberiore explicatione singulorum capitum, ex Sacrarum literarum testimoniis, Patrum scriptis, Theologorum scholasticorum commentariis, ac Canonum interpretibus, aliisque scriptoribus compluribus, ad eum vsum iam pridem diligentia singulari collectis, illustrata sunt: & hoc scripto, quod ad posteritatem de horum Ordinum erga Religionem & Rempub. studio extet, comprehensa.

Neq; Germani soli, sed alii quoq; potentissimi Reges, inprimis Fräciæ, & Britãniæ, Principes, respubl. nationes, & cœtus Ecclesiarum reformatarũ, viri deniq; pietate graues, doctrina, virtute, prudentia & multo rerum vsu præclari & insignes, Concilio Tridentino palam plurimis modis & vicibus contradixerũt, & demonstrarunt, id nec legitime habitum, nec dogmata ex sacrosanctæ scripturæ autoritate definita, nec disciplinam ex veterum Canonum & decretorum ratione modoque constitutam aut reformatam esse: sed in multis articulis tum S. literis, tum antiquis Canonibus & Conciliis contraire: ideoque quæ in hac Synodo sancita sint, pro nullius momenti, irritis, & infectis habenda esse, secundum Canonem ex Gregorio desumtum: Imperiali constitutum est sanctione aperte, vt ea quæ contra leges fiunt, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint. *c. Imperiali 25. q. 2.* Atque etiam secundum alium canonem ex Ambrosio petitum: *in ipsa Ecclesia teneri quam maxime debet forma iustitiæ.*

Protestationes autem Nullitatum Synodo Tridentinæ oppositas, ex illorum scriptis ac monumentis excerptas, & in hunc fasciculum collectas, quam breuissime recitabimus, summa modo fastigia rerum secuti.

PRO-

PROTESTATIO NVLLITATVM.

Prima nullitas est, quod cum Synodus hæc propter, vel potius contra Germanos, quos Papa hæreseos accusat, instituta fuerit, tamen extra Germaniam loco non idoneo sit habita: cō-tra Canones præcipientes, vt accusati in sua prouincia audiantur *c. vltra. 3. q. 6. c 2.* imo contra promissa Leonis X. Hadriani VI. Clementis VII. Paparum.

II Nullitas: Quod Protestantes nec auditi, nec admissi fuerint ad fidei suæ confessionem, quam paratam habebāt, in conuentu publico proponendam, multo minus discutiendam aut asserendam: Imo plurimi reformatam religionem profitentes statu, vt in Gallia, & aliis regnis & ducatibus, ne quidem sunt vocati. At de iure diuino, gentium & ciuili etiam, neminem damnandum esse liquet, nisi præsens, præsentes accusatores, nisi etiam prius legitime defendendi sui potestatem habeat.

III Nullitas: Quod à Romano Papa conuocatū est, ab actore videlicet, qui Protestantes absentes & ante Conciliū damnarat, & in ipso concilio hæreseos condemnabat, & anathematum fulminibus obruebat.

IV. Quia idem Papa fuit & est reus. Nam accusatur à maiori parte Christiani orbis in Oriente & Occidente, tyrannidis, hæreseos, aliorumque criminum: quorum reus cum peragatur, se prius purgaret, æquum & iustum erat.

V. Quia Papa in Concilio se caput, præsidem & iudicem supremum gessit: id non solum indixit (quod Cæsaris & Monarcharum Christianorum erat) sed etiam pro lubitu suspendit, transtulit, abrupit & terminauit.

Quo iure (quæso) idem fuit accusator, reus, iudex? Habuit quidem ibi suos Legatos. At vicarius in Episcopi sui causa iudex esse non potest, aiunt Canones & Canonistæ.

VI. Quod omnes Papæ eorumque suffragatores Cardinales, & Episcopi, Clerici, Monachi, sūt inimici aperti, & capitales hostes Religionis reformatæ, & hanc profitentium: quos illi plusquam Vatiniano odio prosequuntur, proscribunt, occidunt, & omnes ad vnum internecione delere & è medio tollere satagūt.

VII Nullitas est ex defectu legatorum ad Concilium. Qui enim ea legatione functi sunt, inde magnũ cõmodum sperabãt: Aliqui coronam Papalem: (quam etiam duo præsides Pauli III. Papæ, Ioannes Maria de Monte & Marcellus Ceruinus adepti sunt, ob Pontificiam dignitatem fortiter propugnatam) alii infulas, alii prouentus opimos, & mercedem amplam ob nutantis ac labascentis sedis Romanæ fulciendæ sustentandæq; sedulum conatum. At iudex iure recusatur in omni lite, ex qua commodum aliquod percipere possit.

VIII. Ex partialitate Episcoporum: quibus suffragii ius erat. Inprimis Itali, quorum multitudo maxima præ ceteris nationib. erat, pendebant à nutu Romani Pontificis, vt à quo immediate suos episcopatus & beneficia precario tenebant, quibus ne exuerentur, in Papæ sententiam eundum erat.

IX. Ex iniquitate Theologorũ, etiam suffragii ius habentiũ, ac in Protestantes contumeliosis & virulentis concionibus nullo non tempore inuehentium, animiq; morbum ac κακοήθειαν prodentium, ac vi rem gerendam esse suadentium: imo furiale classicum canentium.

X. A defectu scientiæ suffragatorum. Plerique Episcopi & præsules, quibus definiendi potestas tributa, sicut testantur viri veritatis amantes, exiguæ doctrinæ fuerunt, haud versati in linguis illis, quibus sacra scriptura est exarata: nec in ipsis sacris literis: in iuris Canonici vel Canonistarum magis quam in antiquitatis priscæ, Patrumque voluminibus: multo minus in arduis Theologicis disputationibus, aut scriptis eorum, quos vt hæreticos damnarunt. Ideo recusari merito potuerunt, & ex iudicum ordine expungi debuerunt.

XI. A prætermissa causarum cognitione. Præsules Concilii postremi sub Pio IV. suffragiis suis placita & decreta priorib. sessionib. sub Paulo II. quibus ipsi nunquam interfuerunt, approbarunt simpliciter & rata habuerunt: controuersiarũ momenta, rerumq; pondera non examinarunt: Quod à legitimorum iudiciorum forma alienissimum est. *Qui enim iura partium non expendit accurate, non admittendus est ad sententiam dicendam.*

XII. Quia non fuit Oecumenicum Concilium, etsi Pontifici-

cii titulo tali insigniant. Maxima pars orbis Christiani reiecit illud: minima præsens fuit, ac legatos misit. Eius igitur definitionibus, qui non adfuerunt, nullo iure tenentur: Secundum illud: *Res inter alios acta vel iudicata, aliis non nocet.*

XIII. Quia neque fuit liberum. Protestātibus capita suæ fidei libere proponere, & ex verbo Dei confirmare, vel in disputationem cum Pontificiis descendere, non fuit concessum etiam petentibus. Contra: quod libuit Pontifici eiusque legatis, id solum propositum est: omissa quæstione valde necessaria: An Papa Cōcilio superior sit, anne subiectus? à qua videbatur initium esse faciendum: artibusq; variis id perfectum, vt numero votorum, non pondere sententiarum Papa vinceret: quippe cum soli illi admitterentur, quibus vnius addictis iurare in verba magistri, propositum erat illud: *Negas, nego: Ais, aio: Postremo imperaui egomet mihi, omnia assentiri vel assentari:* Et illud: αὐ ὃς ἔφα: *vicarius Christi, successor Petri: cui non licet dicere: Quare sic facis?*

Denique modus agendi plane seruilis fuit. Quia nihil á Legatis disquisitioni subiectum, quin prius ipsum Papam consuluissent, an ita Sanctissimo Domino placeret. Articuli vero definitiui Romæ cusi dictatique ad Concilium missi, & ab illis bonis patribus sanciti, promulgati, proclamatique. Sin qui liberiorem vocem edidissent, ii tanquam Pontificiæ maiestatis læsæ rei, correpti, loco deiecti, aut ablegati sunt. Submissi quoque Roma Tridentum subsidiarii quidam Episcopi (quadraginta numero, sicut ferunt) celeribus equis, qui causæ laboranti opem ferrent, hoc est, autoritatem Papæ munirent, & rectius sentientes suffragiorum multitudine superarent.

Testis harum actionum omni exceptione maior est Andr. Duditius noster, cuius ad Maximilianum II. Imperatorem hæc verba bene notentur: *Odio mei flagrant Pontificij inde ab eo tempore, cum Concilio Tridentino, quod nouissime est habitum, D. Ferdinandi Cæsaris parentis tui missu pro Hungariæ patriæ meæ Ecclesia interfui. Nam qui scirem, quæ ratio vetustissimorum conciliorū fuisset, & intelligerē quid hæc tēpra, in quæ tanta religionis perturbatio incidisset, exposcerent, dicebā libere,*

Imago Concilii Trid.

quæ

quæ quaque de controuersia diligentissime cogitanati & eruditorum commentarios peruolutanti in mentem venerant: neque meæ sententiæ cuiusquam vel gratia vel metus moderabatur. Quo in proposito cum persisterem (nam me suo nomine ipsa veritatis indagatio concordiæque molitio delectabat) sensi non obscure, offendi eorum animos, qui nihil pro sententia dici vellent, nisi quod ad Papæ voluntatem dirigeretur. Ego tamen pro eo, quod antiquissima mihi erat cura vindicandæ, quantum in me esset, veritatis, ad cuius equidem lucem iam tum oculos, veluti è graui quodam somno excitatus, attollebam, iniustissimis querelis hominum Papæ ancillantium ab instituto meo non sum deterritus: neque vel personam abieci, quam mihi Deus ad tempus imposuisset, vel stationem meam deserui, in qua me sapientissimus Imperator collocasset. Quare ab illis animaduersa, nomen meum ad eum, qui tum dominabatur, Papam deferunt, neque me respicere eius gratiam in dicendis sententiis & parum esse reuerentem Pontificiæ sanctitatis criminantur. Quæ cum bonis autoribus comperta haberem, non solum non restingui mihi & languescere, sed inflammari etiam & excitari vehementius studium retinendæ libertatis cœpit. Quo factum est, vt cum in disceptationem venisset, an altera pars Eucharistiæ vulgo, &, vt ipsi vocant, Laicis concedenda esset, & iam in eam sententiam itum esset, vt ne concederetur: ego ita contra pugnauerim, & tanta contentione dixerim, vt præter morem repugnantibus fere omnibus iterum ea de re, de qua iam senatusconsultum factum esset, ad patres referretur, & denuo sententiæ rogarentur. Extat typis euulgata mea sententia, ac petitio testis meæ voluntatis. Quid multa? Cum plura non pateretur nos consequi Episcoporum nimia seruitus & superstitio, illud saltem perfectũ est, vt in ea verba decretum hac de re conciperetur: ex quibus effici potest, concilium illud calicem Laicis non denegare, sed velle, vt id à Papa, quibus opus esset, permitteretur: vt vel hinc facile animaduertas, eos nisi sibi timuissent, prorsus concessuros fuisse: quo tamen decreto plerique omnes Episcopi, stipendiarii præsertim eius, malam apud illum gratiam inierunt. Videtur enim Pontificiæ autoritati nonnihil esse detractum, quod concilium illi leges ponere hac ratione videatur, cum ipse immerito sane, & præter omnem humanam atque diuinam rationem, concilio tamen superior & esse & haberi velit. Atque de calice quidem hic exitus rei fuit.

Calicis negatio, post concessio.

Seruitus episcoporum

De sacerdotibus non prohibendis coniugio item differere, habebam in animo, & me velle præ me ferebam: occasionem tantummodo auide exspectabam. Testanda enim fuit restituendæ disciplinæ, renouandi exempli veteris

Coniugium sacerdotum.

cupidi-

cupiditas, etsi quantum profecturus essem, non ignorabam. Quid enim profici potuit in eo Concilio, in quo numerarentur, non suis momentis ponderarētur sententiæ? Si causa, si ratione pugnandum fuisset, si pauci quidam socii nobis adfuissent, viceramus, quamuis pauci, magnas copias aduersariorum. Sed cum numerus tātum prodiret in aciem, quo longe inferiores futuri fuissemus: in optima causa victores discedere non potuimus. Singulis nostrum centenos de suis Papa potuit opponere: ac si centeni parum multi viderentur, repente mille creare potuit, quos suis laborantibus subsidio mitteret. Itaq; videre erat, quotidie famelicos & egentes Episcopos ex maiori parte barbatulos adulescentes, luxuque perditos, Tridentum volitare, conductos ad sententiam secundū Papæ voluntatem dicendam, indoctos illos quidem & stolidos, sed tamen impudentia & audacia vtiles. Hi cum ad veteres adulatores Papæ accesserant, tum vero victrix exultabat iniquitas: neque decerni iam quidquam potuit, nisi in eorum sententiam, qui Papæ potentiam, luxumq; defendere, summam religionem arbitrabantur. Erat aliquis vir grauis & eruditus, qui tantam indignitatem ferre non poterat, hic vt non bonus Catholicus terrore & minis, ab insectatione Concilij ad probandum, quæ nollet, traducebantur. In summa in eum statum res est adducta istorum, qui illuc facti institutique venerant, improbitate, non vt iam Episcoporum, sed laruarum: non hominum, sed simulacrorum, quæ neruis mouentur alienis, vt Dædali statuæ fuisse perhibentur, Concilium illud videretur. Erant Episcopi illi cōductitij pleriq;, vt vtres, rusticorum musicum instrumentum, quos vt vocem mittant, inflare necesse est. Nihil habuit cum illo conuentu S. Spiritus commercij, omnia erant humana consilia, quæ in immodica & sane quam pudenda Pontificum tuenda dominatione consumebantur. Cursitabant Romam nocte dieque veredarij, omnia, quæ dicta consultaque essent, quam celerrime ad Papam deferebantur. Illinc responsa, tanquam Delphis aut Dodona, expectabantur: illinc nimirum Spiritus ille Sanctus, quem suis Concilijs præesse iactant, tabellari manticis inclusus, mittebatur: qui, quod admodum ridiculum est, cum aliquando, vt fit, aquæ pluuiis excrescebant, non ante aduolare poterat, quam inundationes desedissent. Ita fiebat, vt Spiritus nō super aquas, vt est in Genesi, sed secus aquas ferretur. O portentosam & singularem dementiam! Ratum nihil esse poterat, quod Episcopi tanquam plebs, sciscerent, nisi Papa autor fieret. Quin etiam referebant Legati Pontificij, qua de re Papa agi vellet, & suis illis, quibus hoc nomine stipem menstruam pendebant (ij autem erant plurimi egentes, ex non optimis Italiæ ciuitatibus, & alij fictitij quidam Episcopi, qui ciuitates

Numero Papa vicit.

Conductitii Episcopi, adolescentes, at patres Concilii.

Laruatum concilium.

Sackpfeif
fen.

Spiritus S. non volans, sed manticis tabellionum clausus Roma Tridentum deportatus.

nullas, nomen tantum retinebant) de Pontificis mandato præscribebant, à quibus discedere capitale habebatur. Quo quid magis ridiculum aut contumeliosum in ceteros Episcopos esse possit? Quid enim est eripere homini ius suum, omnemque omnium potestatem ad se rapere, si hoc non est? Si nihil reliqui Episcopi sine Papa possunt statuere: Papa sine ceteris Episcopis omnia: quid cogere concilium opus fuit? Quid Sanctiss. Imperatorem, quid ceteros Principes, quid omnes nationes expectatione concilij suspensos tenere, exitu ludificari? Non quid Papa vellet, quærebatur (non enim erat hoc quidem dubium) sed componenda erat multis sectis disiecta religio, & inprimis infinita Papæ licentia & arrogantia, legum vinculis suisque finibus coërcenda. Quod quemadmodum fieri possit, ipso Papa in sua causa iudice, non dubito, quin per te intelligas. Etenim si vere reputare volumus, omniq; semota perturbatione animi iudicare, inueniemus, nihil aliud esse causæ, cur in Ecclesia Dei ad hoc vsque tempus, post tot disputationes & colloquia, concordia conciliare nequierit, quam quod Papa penes se vnum vult esse arbitrium omnium cōtrouersiarum, ipse nullius se iudicio permittere, ne consentientis quidem orbis terrarum vniuersi. &c. En Lector, vide grauissimam testificationem Duditii.

Lusus Papæ.

Adest & alius fide dignissimis testis, Petrus Paulus Vergerius olim Episcopus Iustinopolitanus & Legatus Pontificis Clementis 7. & Pauli 3. ad Germanos, à quo id in mandatis habuit Anno 1534. vt quoquo modo concilium impediret: nec ipsum Papam in angustias & necessitatem habendæ Synodi coniiceret, etiamsi Rex Romanorum maxime vrgeret. Hic Vergerius scriptis publicis Concilium Papale coloribus iisdem depinxit, vt vel ex Thuani historia paulo post patebit.

Testis etiam est Sleidanus lib. 22. vbi postquam ordinem pulicorum consessuum Concilii Tridentini, & modum condendi Canones & articulos, seu decreta de fide, narrauit, subiicit ista: *Hæc ita quidem publice fiunt: sed qui res Romanas familiarius nouerunt, aiunt, omnia dogmata Romæ iam ante conscripta iussu Pontificis, ad Legatum suo tēpore mitti, vt præscriptum illud atq; formulā, in disserēdo Theologi sequātur. Nā ex iis complures, ac Episcopos quoq; multos alit ibi Pontifex: & ridiculo puerbio dici solet, Spiritum Sanctum Roma subinde Tridētum venire inclusum manticæ. Propterea nimirum, quod crebro Pontifex & celeribus equis, quid fieri velit, per literas atque mandata suis ibi legatis nunciat.*

Spiritus S. Romæ captiuus, alio gestatur ex libita Papæ.

Accedant coronidis vice, maiorisq; lucis & fidei causa, quæ-

dam ex Ampliss. & æui nostri præstantiss. fidelissimique scriptoris D. Iacobi Augusti Thuani historiarum libris, de Tridentini concilii gestis sub Pio IV. Anno LXI. Libro XXVIII. Sic autem habet: *Pontifex semper antea veritus, si concilium indiceretur, ne is eius exitus esset, vt ipse in ordinem cogeretur, cum hactenus rem distulisset, tandem à Cosmo Florentinorum duce persuasus, accedente Concilij nationalis, quod plerique apud nos Gallos vrgebant, metu, S. Oecumenicam generalem Synodum, quæ sub Paulo III. inchoata, & sub Iulio III. continuata, propter nouos in ppinquis Germaniæ locis motus excitatos, & exardescens in Gallia & Italia bellum suspensa fuerat, persequi statuit, & III. Kalend. Xbr. anni præcedentis, emisso diplomate, eius celebrationē in ciuitate Tridentina ad sacratissimā resurrectionis Dominicæ diem proxime futurā indicit, vehementerq; in Domino hortatur venerabileis fratres suos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos ac delectos Abbates, ceterosq; quib. in Concilio generali sedere & sententiā dicere iure communi, vel ex priuilegio, vel ex antiqua consuetudine licet, vt intra eam diem Tridentum conueniant: insuper Romanum Imperatorē electum ceterosq; reges ac Principes monet, vt si ipsi interesse non possint, eo legatos suos mittant, præfatus nihil ppositū aliud habere se in hoc concilio celebrādo, nisi honorē Dei, dispersarū ouiū reductionem ac salutē & perpetuā Reip. Christianæ tranquillitatē. Cōtra diploma illud Paulus Vergerius Iustinopolitanus quondā Episcopus, & magnis legationib. sub Pontificib. defunctus, qui paulo ante ab iis defecerat, cū Augustæ Vindelicorū esset, scripto edito acriter inuectus est, & curiæ Romanæ fastū, pompas, luxū, ambitionē, sordeis, corruptos mores, quos pspectos se habere dicebat, multis & acerbis verbis detestatus: postremo addit, conciliū à Pontifice indictū, non, vt oportuit, ad stabiliendam Christi doctrinā, sed ad firmāda infirmæ carnis, diuinis mādatis aduersantis, cōmenta, non ad purgandū ouile dominicum, sed ad disseminādos hominū inueteratos errores: deniq; nō ad Christianā libertatē, sed ad miserarū animarū seruitutē & oppressionē, institutū esse: quippe in quo iuxta ceremonialis Romani præceptū, ꝙ habetur lib. 1. c. 3. sectionis 14. Episcopi tantū, abbates & ij oēs præsules, qui secundū formā iuramenti, ꝙ præstant, cum ad dignitates promouentur, ad Synodū venire tenentur, interuenire possint, ac ei subscribere, inferiores aūt Ecclesiastici viri, ac seculares Principes cōsulendi ac instruēdi, nō aūt deliberādi & decernēdi gratia intersint: quo fieri dicit, nō solū, vt qui ob crassos & erga Deum cōtumeliosos errores se ab Ecclesiā Romana separauerint, nō audiantur, contra quā à Paulo III. initio pmissum fuerat, sed etiā vt multi ac peritio-*

Concilii Tridentini instauratio.

Papa timet concilium: sed cogit coactus.

Vergerii scriptum contra Pontificium diploma.

tiores ex illiusmet Ecclesiæ gremio doctores ad sententiam dicendam non admittantur: libertate, in qua spes sarciendæ concordiæ reliqua erat, omnino sublata, & aperta ad scissuram nunquam ex domo Dei eliminandam, fenestra.

Papæ legatio ad Germanos.

Hanc querelam cum ad irritandos Germaniæ Principes, quorum causa ab initio Concilium indictum fuerat, pertinere intelligeret Pontifex, ad eos ante omnia legatos mittere decreuit. Delecti ad id Zacharias Delfinus Pharensis, & Io. Franciscus Comendonus Zacynthi, Episcopi: qui cum literis fiduciariis ad reges & principes profecti, primum omnium Ferdinandum Cæsarem, qui tunc Viennæ erat, adeunt, & ibi postquam mandata à Pontifice exposuerunt, consilium ipsius in legatione obeunda exquirere iussi monentur, vt è vestigio omni mora postposita, Principes Augustanæ Confessionis socios, quos Naumburgi ad Salam in Saxonia simul congregatos commodum nacturi sint, adeant, cum iisque leniter, ac modeste agant: & quantum fieri poterit, omnem exasperationis & offensionis materiam & ansam perquam diligenter declinare studeant. Ita facilius rem confecturos, & ab illis certum ac determinatum responsum potius consecuturos, quam si diutius exspectent, & singulos in sua prouincia circumeuntes conuenire cogantur. Nec enim nunc verendum esse, ne in accipiendo commodiore vel incommodo responso ab alio ad alium remittantur: tantum celeritate vtantur, ne ante ipsorum aduentum conuentus dissoluatur: simulq; ambo eo contendant: inde postea commodius iter diuisuri, & ad principes, quos quisq; eorum conuenire iussus est, non inuentos separatim profecturi. Reuocatæ & à prudentissimo Imperatore in memoriam conditiones, quibus Principes protestãtes nouissimo Imperiali cõuentu in Conciliũ Tridentinũ se consensuros declarauerãt: vt si eas aut omneis aut pro parte rursus in medium adduci contingat, ipsi legati, re præ meditata, tanto facilius, an & quid nomine Pontificis replicandum sit, cogitare possint.

Consilium Ferdinandi

Legati Pontificii ad Conuetum Naumburgensem.

Discedentibus oratores à Cæsare adiuncti Otho Eberſteinij comes, Felix Bogislaus Hassensteníj Baro, & Christophorus Meela regni Bohemiæ vicecancellarius: qui postridie quam Naumburgum aduenerunt, in Principum consessu auditi, nomine Cæsaris hortati sunt eos, vt ad Synodum Tridenti indictam, & legitime celebrandam, veniant, quo lamentabili religionis dissidio & secutis inde Germaniæ calamitatibus salutaris tandem finis imponatur.

Principum responsio ad Legatos Imp.

Iis re deliberata à Principibus responsum, inuictissimo Cæsari se pro pia solicitudine & amore erga remp. ac ipsos reuerenter admodum gratias agere. Ad concilium quod attinet, non recusare liberum, Christianum & vniuer-

sale,

sale, in quo non Pontifex, sed verbum Dei pro iudice sedeat, iureiurando Episcopis remisso, & Augustanæ confessionis ordinibus facultate decernēdi permissa: se contra animaduertere, Pontificem Tridentini concilium continuādum indixisse, & suis tantum iuratis Episcopis dicendæ sententiæ potestatem facere: quod ipsi semper antea in publicis Imperij comitiis inquissimum esse protestati sint: hac de re reuerenter Cæsarem monere in præsentiarum voluisse integro responso in aliud tempus dilato, quando ad alios etiam ordines hoc negotium spectet, & absentium Principum legati, qui Naumburgi conuenerūt, nullo de mittendis Tridentum legatis specialia mandata habeant. Orare interim Cæsarem, vt hoc responsum in bonam partem accipiat, eique acquiescat, & Passauiense fœdus ac pacem religioni datam constanter tueatur.

Papæ legatorū oratio.

Postea Pontificij legati, alter post alterum, auditi, qui de Pij IV. laudibus & pia religionis solicitudine, tum egregia erga ipsos voluntate multa ac præclara præfati, eo consilio instauratum ab ipso Concilium dicunt; vt hæroses extirpentur, & sectæ, ex quibus tot fere religiones, quot homines, tot Euangelia, quot doctores extitissent, omnino tollerentur, in quo cuncta caritate Christiana & pietate fraterna transactum, omneis plene ac benigne auditum iri, sententiasque ac suffragia liberrima fore pollicebantur. Igitur legatos cum plenis mandatis mitterent, & sarciendæ concordiæ causa susceptum tam laudabile negotium ex parte sua adiuuarent.

Breuia Papæ

Perlatæ & ad singulos Protestanteis literæ à Pontifice, quas breuia vocant, cum hac inscriptione. Dilecto filio, nobili viro, duci aut comiti: *quæ omnes minime resignatæ in hospitium legatorum mox remissæ sunt. Tandem postremo conuentus die à VII viris ac ceteris principibus mane ad legatos Pontificis responsum datum: nullam se Pontificis iurisdictionem agnoscere: neque vero opus esse, vt Pontifici, quid suæ voluntatis sit in concilij negotio, cuius indicendi aut habendi potestatem ipse non habeat, aperiant: abundè id sæpius fecisse: & se Clementissimo Domino suo Imperatori Ferdinando, quid sui consilij sit, vt debebant, reuerenter exposuisse. Porro ipsis vt viris nobilibus & ex amicissima repub. ortis, multa insuper doctrina & rerum vsu ornatis, honorifica, quæ possint, officia deferre: plura delaturi, nisi à Pontifice venissent. Ita dimissi legati &c.*

Responsio Principum.

Hucusque Thuanus, de iis, quæ Concilium antecesserunt Anno LXI. Id vero, licet ad huius anni Pascha indictum, tamen in annum LXII. dilatum est, procrastinante semper Pontifice, suæque potentiæ diminutionem metuente. Tandem vix ægre

consentiēte; post id præcipitante ac ex improuiso finiēte, vel abrumpēte: quippe omnis emēdationis impatiēte: quā monarchæ Cæsar & Rex Galliæ cumprimis, serio postulabant: sicut & libertatē in dicēdis sententiis. Ac hic quidē monuit etiam Pontificē, ne cōmitterent eius legati, vt Spiritū S. in bulgā cōpactum Roma accersere dicātur, & quæ in cōsessu Patrū Cōcilii ad Dei gloriā decernentur, Romæ ab otiosis hominib. maligna interpretatione nō corrumpātur. De reb. aliis in concilio gestis auidus lector consulat historicorum fidelium monumenta, inprimis ipsum, quem modo citauimus, Thanum Histor. lib. 35. & 36. vbi de permissione calicis, & coniugii, sacerdotibus nonnulla reperiet, agitata ad Annū Domini M.D.LXIV. & amplius: sicut & de executione Cōcilii, à Pontifice quidē importune semper efflagitata, sed neq; à Cæsarea Maiestate, neq; à Rege Galliæ, neque ab aliis ita facile impetrata: quod turbarum & bellorum crudelium facem prudentes Principes ad Papæ libidinē accendere nollent.

Quæ cum ita se habeant: ecquis æquus & integer ac candidus vitio vertat Germanis, & aliarum nationum Protestantibus, quod Concilium Tridentinū aspernati sint tandē, eiusq; decreta & Canonas adhuc recusent? Athanasius olim Synodū Tyriā, Maximus Episcopus Ierosolymitanus Antiochenam, Episcopi Occidentales Syrmiensem, Paulinus Treuirensis Mediolanensem, ob Arianorum insidias, technas, & potentiam defugerunt. Cur idem nobis haud liceat ob aduersantium vimq; dolumque? Imo vero licet impune, Pontificio quoque iure, recusare Concilia suspecta & periculosa: teste Gelasio; *Si nec humana committi debent iudicia ijs, qui sunt inimici, & iudices ijdem, quanto minus diuina vel Ecclesiastica? cum Ecclesia sit cultrix & auctrix iustitiæ, non patitur contra iustitiam aliquid fieri.*

Hoc vero de Romana Ecclesia vel congregatione Tridentina, scilicet Ecclesiæ repræsentatiua, non potest affirmari: verius illud *Petri à Monte*, Veneti, & Brixiensis Episcopi, quod extat in libro, quem vocat *Monarchiam*, in quo agit de Conciliis, potestate Papæ, & Imperatoris, Romæ edito, confirmabimus & vsurpabimus: *Hodie non potest celebrari concilium vniuersale, cum nullos habeamus sanctos patres. Adeo deprauata est Religio Christiana,* Catholico-

Roma-

Romana Oremus igitur Deũ παντοκράτορα, vt eã emẽdet ac in integrum restituat ad sui nominis gloriam, & electorũ salutẽ Amen

AONII PALEARII ITALI VIRI DOCTISS. *& martyris Beati, qui iussu impij Pij V. Papæ, seui inquisitoris, & crudelis hypocritæ, propter veritatem Euangelij Romæ Anno M. D. LXVI. igne exustus est, ex libro ad Concilium Oecumenicum liberum, eiusque Præsides. Imp. Rom. Reges & Principes Christianos scripto,*

Grauis obtestatio.

TEmpus est iam, Cæsar Auguste, vosque summi Reges, & magni Principes, re in illustri omnium gentium & nationum conspectu posita declarare Sententiis vestris, non modo nobis sed posteris propensionem aniomrum vestrorum in Christum. Eius Euangelium conuersum & confusum videtis miserum in modum, beneficium Sanguinis Christi velatum atq. obtectum, infirmis male consultum, onus graue innumerabiliũ præceptorum super humeros fidelium Gentium & Nationum impositum. Quid expectandum? Libertas Christi sublata est, instituta Apostolorum euersa sunt: rescissum est verbum Dei: præceptorum Christi maiestas imminuta: crux quantum per hoc licuit, euacuata est: abusus magni atque incredibiles inuecti: confusæ deniq. iura humana atq. diuina. Quis Christi nominis tam est inimicus, qui possit hæc audire & ferre? aut si nulla ratione mederi queat, ne cum impiis sensisse videatur, non morte testatum relinquat? Hanc ob rem si quid grauius in me acciderit, qui pro gloria Christi, pro salute fratrum periculoso consilio, at per quam pia mente, suscepi communem causam: nunquam profecto pigebit, si defenso Euangelio filii Dei id sequi necesse est. Accede lictor, colliga manus, caput obnubito: Ipsum me cruciatib. & Pontificũ iræ offero: Percute securi. Quæ est ista tãta crudelitas & sæuitia, quam mors ipsa non exsatiet? Saturari Pontifices nequeunt, nisi viscera nostra lanianda & in ignem coniicienda præbuerimus. Accede lictor. Id etiam feremus. Liceat mihi anteq̃ de misero supplicia sumãtur, abiici ad pedes, prouolui ad genua Magnorũ & Sanctissimorũ Principũ. Orat vos seruus Iesu Christi, Principes, & flens obsecrat per eam fidẽ & operam, quam

præstare debetis Christo, qui tam amanter pro vobis mortuus est, qui resurrexit, qui adstat vultui Dei pro vobis, vt ipsi iam Euangelii defensionē suscipiatis. Quod si supra hominum sortem, supra mortalitatem vestram datum est vobis, Principes, vt rescissum verbum Dei, imminutam maiestatem mandatorum Christi, instituta Spiritus sancti restituere possitis, orat atq; supplicat, vt neque animi neque corporis laboribus defatigemini, quo minus Ecclesiam Dei, quam Dæmonia quædam forma hominum induta multis seculis labefactare conata sunt, vos hoc vno consessu vestro, quem illa sibi horribilem, & formidolosum putarunt, Gentibus & Nationibus vindicetis in pristinam eius lucem & dignitatem.

FINIS.

IACO-

IACOBI,

Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Regis

CONFESSIO FIDEI

In Comitijs Ordinum comprobata, subscripta & publicata.

EDVARDI VI ANGLIÆ, FRANCIÆ ET HIBERNIÆ REGIS EDICTVM,

De Reformatione Religionis.

ANGLORVM EPISTOLÆ AD GERMANOS

De primordiis suæ Reformationis & mirabilibus quorundam imaginum seu simulachrorum historiis.

THOMÆ CRANMERI ARCHIEPISCOPI CANTVARIENSIS ET MARTYRIS

Epistola super controuersia de Cœna Domini orta.

Omnia nunc primum ex Bibliothecis eruta, & rei Christianæ bono in lucem edita.

CONFESSIO FIDEI ET VERÆ RELIGIONIS CHRISTIANÆ, IVXTA VERBVM DEI

& acta Comitiorum Regni Scotiæ concepta, & approbata ſubſcriptionibus Regis, Familiæ Regiæ, (Principum, Comitum, Baronum) & aliorum Ciuium Regni, vt ſuo bono exemplo omnibus mortalibus præirent ad Dei gloriam propugnandam.

EDITA EDIMBVRGI

Martii, Anno incarnationis Domini M. D. LXXX.

NOs omnes, quorum nomina infra ſcripta ſunt, conteſtamur, quod prius diligenti & longo examine habito cum conſcientiis noſtris de negotiis veræ & falſæ Religionis, ſimus iam per verbum Domini Dei noſtri & eius Sanctum Spiritum omnino confirmati in ea religione, quam veram & Deo acceptam fore pro comperto habemus. Ideo nos corde credimus, & ore profitemur, & ſubſcriptionibus noſtris comprobamus, & conſtanter affirmamus coram Deo & omnibus mortalibus, quod hæc ſola ſit vera Chriſtiana fides & religio Deo grata & hominibus ſalutaris, quæ nunc Dei miſericordia per prædicationem ſancti Euangelii mundo communicata eſt, & quæ recepta eſt, & confeſſa & tuta per multas inſignes Eccleſias & * Regna, ſed in primis per Eccleſiam, Regem, & tres Ordines Regni Scotorum, tanquam æterni Dei æterna veritas, & ſolum fundamentum noſtræ ſalutis, vti latius declaratum eſt in Confeſſione noſtræ Fidei, confirmata & relata in actis publicis Comitiorum Regni noſtri ſæpius habitorum: & quæ iam per multos annos publice per Regem & totum Regnum tam in vrbibus quam in pagis profeſſa eſt.

* *vt Germaniarum, Galliarum, Daniæ, Suediæ, Poloniæ, Hungariæ, Nauarræ, &c.*

Huic

Huic confessioni & formæ Religionis nos libenter & toto animo acquiescimus, tanquam veritati indubiæ à solo Deo profectæ, & in auctoritate verbi sui stabilitæ.

Quamobrem nos detestamur & execramur omnem contrariam Religionem & doctrinam: at præ ceteris religionem Papalem in iis capitibus, quæ iam per Ecclesiam nostram refutata sunt, & per verbum Dei damnata.

Sed inter alia eorum religionis capita nos detestamur & reiicimus vsurpatam auctoritatem Antichristi Romani supra scripturam & verbum Domini, supra Ecclesiam, ciuilem Magistratum, & conscientias hominum: videlicet omnes suas tyrannicas leges de rebus adiaphoris contra libertatem Christianam: Doctrinam suam erroris plenam, qua contendit verbum Domini patefactum in scripturis non sufficere ad consummatam religionem Christianam definiendam: Doctrinam suam contra perfectionem legis, contra officium Christi, & eius sanctum Euangelium: Doctrinam suam impiam de peccato Originis, de rebellione naturali contra legem, contra iustitiam solius fidei, de imperfecta sanctitate nostra, & obedientia legis: De natura, numero & vsu Sacramentorum: De quinque suis nothis sacramentis, cum omnibus ritibus, superstitionibus, & falsa doctrina sua addita ministerio verorum Sacramentorum citra verbum Domini: Crudele iudicium suum contra infantes, qui morte præuenti caruerunt sacramento Baptismatis: Impiam suam opinionem de transsubstantiatione, de * reali præsentia corporis Christi in elementis, & de acceptione eiusdem ab impiis seu ab ore hominum corporali:

[* puta locali & impanali, qualem Papistæ confingunt in mutatione elementorum, & inclusione.]

Dispensationes suas, quibus iusiurandum rite conceptum cum fide media, legibus soluere solet: Dispensationes suas de periurio, de gradibus verbo Dei prohibitis in matrimoniis contrahendis: Tyrannidem suam contra innocentes per diuortium separatos:

Missam suam Diabolicam: Impiam suam dignitatem

Sacerdotalem: impium sacrificium pro peccatis viuorum & mortuorum: Audaciam homines referendi in album Sanctorum, inuocandi Angelos & Sanctos mortuos, adorandi imagines, reliquias, cruces, dedicandi templa, altaria, dies, nuncupandi vota creaturis: Purgatorium suum, preces pro mortuis: Rogare & precari in peregrina lingua non intellecta: Rogationes suas & pompas cum litania: Multitudinem intercessorum & aduocatorum pro hominibus, coram Deo: Multitudinem Ordinum suorum Sacerdotalium: Auricularem confessionem, desperatam illam pœnitentiam sine spe veniæ, fluctuantem fidem cum perpetua dubitatione de salute: Merita hominum pro peccatis expiandis: Iustitiam operum, opus operatum, opera supererogationis: Indulgentias, peregrinationes, stationes: Aquam suam lustralem: Baptismum campanarum & tintinnabulorum: Exorcismum malorum spirituum: * Benedictionem cum signo Crucis: Vnctionem: Opinionem plenam superstitionis de creaturis reddendis sanctioribus, formulis quibusdam verborum: Tyrannidem suam & hierarchiam in terris: Tria vota illa sua & suorum sacrificulorum: Decreta sua horrifica & sanguinaria emissa in Concilio Tridentino.

* superstitiosam intelligens, & meritoriã, nam cærimonialis adhuc durat in Anglia, præsertim trina illa in baptizatione infantũ, etiam Conciliorum auctoritatib. cõprobata, & ab hoc ipso Rege cõfirmata. Zvvinglius Respons. 2. ad Eckii Responsion. Badẽses. *Huius generis est, quod me dixisse ait, hominẽ terreri, cum signo Crucis sese signat. quod ipsum manifeste falsũ est.* Idem in Epicheresi: *Cruce signationem non contemnimus.* Luther. in Catechis. min. *Mane cum surgis è lecto, signabis te signo S. Crucis dicẽs; In nomine patris &c.*

Demum nos detestamur omnes suas allegorias, ritus, signa & traditiones, obtrusa Ecclesiæ Dei, quæ repugnant verbo Dei & doctrinæ reformatæ Ecclesiæ. Cui Ecclesiæ nos nosmet adiungimus cum summo consensu in doctrina, fide, religione, disciplina, & vsu sacramentorum veluti viua membra eiusdem sub eodem capite Christo: promittendo religiose & iurando sancte per magnum nomen Domini Dei nostri nos constanter permansuros in obedientia doctrinæ & disciplinæ huius Ecclesiæ, & in tuitione eiusdem pro facultate nostra, quandiu Deus huius vitæ vsuram nobis dederit, sub pœnis in lege contentis, adiectis periculis, in quibus & corpus & anima versabitur in die extremi iudicii.

Et quia permulti sunt à Sathana & Antichristo Romano subornati ad omnia promittendum, iurandum, & obsignandum, & ad vtendum sacramentis dissimulanter, repugnati conscientia, in eum finem, primum vt sub externa specie religionis possint

opportunius vti secretis suis machinationib. excogitatis ad subuertendam & corrumpendam puram religionem in reformata Ecclesia: deinde cum aliqua oblata occasio fuerit, hanc arripiũt, tanquam hostes, ad Ecclesiam persequendam, adducti falsa illa opinione potestatis Papæ, eiusque indulgentiæ & absolutionis, quæ plane contra verbum Dei ab hoc vsurpantur ad perniciem vtriusque, vt experientur in die illo aduentus Domini: quamobrem cum nobis animus sit auferre omnem suspicionem dissimulationis & hypocriseos, & Ecclesiæ cauere ab his, qui duplici animo in ea agunt, Deum scrutatorem omnium cordium attestamur, omnium nostrum corda & animos ingenue consentire huic confessioni, promissioni, iureiurando & subscriptioni, adeo vt nulla rerum huius mundi spe ad id moueamur, sed sola persuasione veræ religionis, conceptæ in intimis animis & conscientiis nostris per Spiritum Sanctũ, vti illi respondebimus in illo die, in quo omnium cordium secreta detecta erunt.

Agenda Rotenburgẽsis ad Tubarim. *Crux in administratione baptismi potius ex veteri consuetudine retinetur, quã quod in scriptura fundamentum habeat, aut à scriptura præcipiatur.*

Quoniam compertum habemus, tranquillitatem conseruationemque nostræ Religionis pendere vt maxime ab incolumitate & conseruatione Regis, quem Deus, tanquam instrumentũ suæ misericordiæ pro nostra consolatione huic nostræ patriæ cõcessit ad tuendam Ecclesiam suam & iustitiam nobis administrãdam, idcirco attestamur & toto corde promittimus per iusiurandum, subscriptionem & pœnas, quas ante commemorauimus, nos suum corpus, vitam & auctoritatem nostris corporibus, vitis & opibus in præsidio Euangelii, libertate patriæ, executione iustitiæ, & punitione delictorum, contra omnes mortales, tuituros & protecturos, quemadmodum cupimus Deum nostrum nobis fore misericordem & strenuum protectorem in die obitus nostri, & in die aduentus Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre & Sancto Spiritu sit honos & gloria in sempiternum. Amen.

EPISTOLAE.

DE PRIMORDIIS REFORMATÆ ECclesiæ in Anglia, & mirabilibus quarundam imaginum seu simulachrorum exemplis & historijs.

NICOLAVS PARTRIGIVS Anglus.

REligio apud nos pulchre procedit. Regis iussu missi sunt in omnes partes Angliæ, qui syncere Christum concionentur. De Walsingamica Virgine ac alijs idolis comminutis puto te iam dudum audiuisse. Æstuans ille Purgatorii ignis apud nos nunc extinguitur. De Missa priuata magna conturbatio est. Agunt adhuc Londini Legati Ducis Saxoniæ & Lantgrauii Hessiæ, qui in Lambeth pallatio Cantuariensi quotidie fere intersunt Disputationibus de Religione institutis. Pollicentur nobis optimi optima, nec possumus nobis non optima polliceri &c.

MICHAEL DRVMÆVS Anglus Oxoniensis.

HOstes vestri nescio quo pacto attoniti obstupescunt ad vestram diligentiam & perspicuitatem in sacris literis enarrandis. Et cum olim satis improba amarulentia & maledica improbitate perstringere solebant quosdam Germanos, *te quoque suggillare interdum, scripta vestra accusare hæreseos, vociferari nescio quæ prodigiosa dogmata, iam paulatim pedem reprimunt, latrare omnino desinunt, & agnoscunt per quos aliquando profecere. Nam nulli vehementius Germaniam falsis suis pressere accusationibus, quam qui prælectiones suas totas fere è Germanorum petierant libris. Astuti quidem viri, qui hinc imperitos auditores auocabant, vbi aliquando præceptorũ suorum furta deprehendant. Sed Regi & Proceribus quibusdam nostris dedicati nuper tui & aliorum labores, ac tanto applausu ab erudi-

* Bullingerum.

eruditioribus quibusque accepti, æternum nugonibus istis indixere silentium. Illos vero animarunt ad vestra scripta tractanda, quos hactenus deterruerunt Prælectorum tam horrendæ minæ. Quare pergite felicibus auibus, hostibus vestris esse molesti, & veritatis patrocinium non deserere. Et si quæ habueritis alia studiorum vestrorum monumenta, in communem omnium vtilitatem publicate. Ita DEO OPT. MAX. acceptissimum haud dubie sacrificium reddetis, fauebuntque vobis studiosi omnes. Oxoniæ è Collegio Magdaleniano, pridie Calend. Augusti.

PARTRIGIVS ET ELIOTtus Angli.

CVm Angliam attigissemus, primo omnium Cantuariensem Archiepiscopum accessimus, qui librum *tuum humanissime à nobis accepit. Obtulimus ei ciuilitatis causa & vt commendatior esset, librum etiam illum, quē Regi parasti. Atque is primo quidem renuit, ratus consultius fore, si Crumvello traderetur, qui ipsum Regi offerret commendaretq;. Cœnamus itaque cum ipso, & ad varia, de quibus interrogabamur, respondemus. A cœna mox librum Regis reposcit, ac pollicetur se librum in manus Regis daturum, nobis tamen præsentibus, si quid à nobis velit Rex sciscitari. Prius tamen parat se ad cōtinuam libri lectionem, ne quid ignoti commendaret Regi. Interim vero accedimus Crumvellum, illiq; tuum ad se librum vna cum literis offerimus. Erat tum vndis negotiorum adobrutus, nihilominus tamen perbenigne munus accepit, & literas nobis videntibus legit. Ea nocte nescio qua causa palatium Regis petiit, & librū sibi dono à te missum Regi ostendit. Id cum postera die resciuisset Cantuariensis, protinus Regi suum librū mittit, quem dederamus pridie. Sed tum non aderamus. Didicimus autem ab aliis, quod Regi fuit munus gratissimum.

*Bullingere.

Statim enim iussit illum transferri in linguā Anglicanā: Verū hac de re plurib. ad te scribēt Crumvellus à Rege secūdus Cantuariensis & Vingorniensis Episcopus, Hugo Latimerus, cui, nobis

crede,

nihil contigit gratius, quam munus literarium, quod misisti. Versi sunt commentarii tui in Anglicanam linguam &c.

THOMAS SCHLIDHVRstus Anglus.

IAm dudum Romanensis monstri caput deiectum est. Euertũtur nunc vndiq; præcipuæ, quibus hoc innitebatur Regnum, columnæ, ne reædificandi in posterum vllis vlla suppeditetur occasio. Otiosa enim illa Monachorum turba è domicilus suis truditur, non tamen sine honesto stipendio, quo sibi victum quærat. Consultant nunc & deliberant prudentissimi viri, quomodo sine turba omnis in vniuersum impietas aboleatur. Nos è Principum Magnatumque nostrorum conuentu expectamus determinatam & absolutam omnium rerum & opinionum expeditionem.

THOMAS OTHLÆVS Anglus.

CVcullatum Papæ satellitium indies decrescit. Monachi ac Fratres pauci apud nos sunt reliqui, breui nulli omnino in tota Anglia erunt. Peregrinationibus nullus relinquitur locus. Dii Deæque omnes, quas imperitiores per vniuersam Angliam inuisebant, nunc Londini sunt &c.

IOANNES HOKERVS MEIDstanensis Anglus.

RVit hic passim Azoticus Dagon, Bel ille Babylonicus iam dudum confractus est. Repertus est nuper Cantianorum Deus ligneus, pensilis Christus, qui cũ ipso Prometheo cõcertare potuisset. Nã & capite nutare, minari oculis, barbã cõcutere, incuruare corpus, adeuntium auersari & recipere preces scitissime nouerat. Hic cũ Pieales Monachi sua causa caderent, repertus est in corũ templo, plurimo cinctus anathemate, linteis, cereis, agricis, vtbicis exterisq; dicatus munerib. Subodoratus est fucũ cordatus vir Nicolai Partrigii nostri frater. Affixũ ergo parieti è vestigio soluit, apparent artes, apparẽt imposturę mirus ac Polypeus prętigiator deprehenditur. Erant foraminoso corpori occul-

occultæ passim fistulæ, in quibus ductile per pinnulas ferrum à mystagogo trahebatur, laminis nihilominus meatus artificiose cælantibus. Hinc factum est, vt populum Cantianum, imo Angliam totam iam sæculis aliquot magno cum quæstu demētarit. Patefactus Meidstonensibus meis spectaculum primitus dedit, ex summo se culmine confertissimo ostentans populo, aliis ex animo, aliis Aiacem risu simulantibus. Delatus hinc circulator Londinum est. Inuisit Aulam Regis. Regem ipsum nouus hospes nouo salutat more. Conglomerant apum ritu Aulici, Barones, Duces, Marchiones, Comites, adsunt è longinquo, circumstant, intuentur & vident penitius. Agit ille, minatur oculis, auersatur ore, distorquet nares, mittit deorsum caput, incuruat dorsum, annuit & renuit. Vident, rident, mirantur, strepit vocibus theatrum, volitat super æthera clamor. Rex ipse incertum gauisusne magis sit ob patefactam imposturam, an magis doluerit ex animo tot sæculis miseræ plebi fuisse impositum. Quid multis opus? Res delata est ad Consiliarios. Hinc post dies aliquot habita est Londini concio, prædicabat è sacra cathedra Episcopus Roffensis, stat ex aduerso Danieli Bel Cantianorum summo erectus pulpito, ita vt commode videri posset ab omnibus. Hic denuo sese aperit, hic denuo comœdus fabulam scite agit. Mirantur, indignantur, stupent, pudet ab idolo tam turpiter fuisse delusos. Cumque iam incalesceret concionator, & verbum Dei occulte operaretur in cordibus auditorum, præcipitio demolitus est ligneum truncum in confertissimos auditores. Hic maximus auditur diuersorum clamor, rapitur, laceratur, frustillatim comminuitur, conscinditurque in mille confractus partes, tandem in ignem mittitur, & hic tulit exitus illum.

EDVARDI VI. ANGLIÆ, FRANCIÆ *& Hiberniæ Regis, Procerumque Regni Edictum.*

Regia Maiestas quandoquidem animaduertit propter ducem à Somersett nuper in custodiam traditum, cuius facta & exauthorationem & carcerem commeruerunt, nisi Regnum sua culpa grauiter labefactatum in extrema ruere pericula

pati velimus, quosdam maleuolos homines dicto Duci magis deuotos, quam erga Regiam Maiestatem & patriæ charitatem officiosos ad concitandum populũ spargere ausos, pias pro expiãda & reformãda religione leges latas, modo abrogandas & antiquãdas, & Papisticos ritus, cæremonias & Missam denuo reponendã: commodum existimauit omnibus suis subditis notum & testatissimum facere, quod nec sua Maiestas, neque quisquam suorum Consiliatorum, vllam talem alteratiõe quouis modo in animũ induxerit, sed vult pias modo pro religione rogitas & cõfirmatas leges conseruare & tueri, & deinceps, quæcunque ad ampliandã Dei gloriam & ad progressum verbi eius facere poterunt, captata occasione sedulo prosequi. Quare eius Maiestas totius consilii consensu ad omnia dissensionis & diffidentiæ incommoda tollẽda, quæ ex talibus vocib. exoriri possent, omnibus Magistratibus cuiuscunq; Ordinis & dignitatis imperat, vt talium rumorum seminatores & vulgatores apprehendant, & in custodia asseruent, dum certiores facti fuerint super iudicio Serenissimi Regis, ex cõsilii sententia pœnam decreturi, prout sceleris ratio exigit in huiusmodi seductores & populi concitatores. Promulgatum Londini 8. Octobr. anno tertio Eduardi VI. Angliæ, Franciæ & Hyberniæ Regis Fidei defensoris & Ecclesiæ Anglicanæ & Hybernicæ in terris supremi capitis, subscriptum per Regni Proceres, & alios de priuato Consilio, quorum nomina sequuntur.

Thomas Archiepiscopus Cantuariensis.

D. Riche Cancellarius Regni.

Dominus à S. Iohanne Magnus Magister Angliæ, & Præses Consilii.

Drusellus priuati Sigilli custos, Marchio Nothartuptensis.

Comes Warvvicensis Magnus Angliæ Cubicularius & Admiraldus.

Comes Armidellus Cubiculi Regii præfectus.

Comes à Talbat.

Comes Southamptensis.

Comes á Wentvvorthe.

Thomas Cheneus Ordinis Eques & Regiæ domus Marischalcus.

VVill-

Willelmus Herbert Eques, Stabuli Regii Præfectus.

Anthonius Wengfeldus Eques Ordinis, Præpositus sacri cubiculi & Guardiæ Capitaneus.

Ioannes Gagnus Eques Ordinis, Constabularius turris Londinensis.

Willelmus Perreue Eques, Archigrammateus Regius.

Eduardus à Noricis Eques.

Eduardus Montageus Eques.

Ioannes Bacerus Eques.

Eduardus Wotton Eques.

Doctor VVottonus Decanus Eboracensis.

Richardus Douthuellus Eques.

Edmundus Peckham Eques, primus Præpositus òmnium Fabricarum Regiæ monetæ.

Hæc mecum communicauit Christophorus Mount Iuris Doctor, Anglorumq; Regis Nuncius apud Germanos, qui hesterna nocte sero ad me venit

Martinus Frechtus Ecclesiæ Vlmensis Parochus.

THOMÆ CRANMERI ARCHIEPISCOPI CANTVARIENSIS

EPISTOLA

SVPER CONTROVERSIA DE cœna Domini orta.

Illustri & Erudito Viro, Ioachimo Vadiano, Consuli apud Sanctum Gallum in Heluetia.

TAndem à negotiis Conciliisque publicis missionem vel verius respirationem nactus, & inter ceteros doctos viros, quorum epistolis responsa iam diu debueram, tibi quoque Vadiane vir illustris doctissimeque, nunc demum vertente anno respondere incipiens (vt pote cuius literas superiore hieme acceperim vna cum munere literario. Quod genus quidem soleo vel inter pretiosissima numerare) illud in primis mecum reputare pudebundus occepi, vererique, ne forte suspicionem aut etiã opinionem mihi aliquam sinistram apud animum tuum silentio meo tam diuturno contraxerim, qui sciam apud vulgus hominũ fieri plerunq; solere, quum hospes hospitem salutat, vt in primo maxime aditu responsum solicite exspectent. Quod si differatur, vel superbiam aliquam, vel neglectum sui, vel (vt minimum) obliuionem interuenire suspicantur, qualemque in primo illo accessu inuenere, talẽ in vniuersam reliquã vitam erga se fore præiudicant. Cum qui cito responder, libenter & gratanter id facere iudicatur, eumque proinde humanum, facilem gratumq; interpretantur: contra qui tarde, fastuosus, difficilis, & inciuilibus ac inamœnis moribus præditus existimatur: vsque adeo bis facit, quod cito facit, quicquid quis cito facit. Verum ego de tua neutiquam vulgari prudẽtia & humanitate meliora mihi polliceor, confidoque te hanc meam non spontaneam tarditatem aut cessationem, sed necessariam dilationem benigne accepturũ, eamque non tam moribus quam negotiis meis imputaturum. Quæ

qualia

qualia, & quanta fuerint, puto rumores ad vos vsque iam pridem pertulisse, & ego de eisdem nonnihil ad Grynæum meum, imo nostrum scripsi, cum quo pro amicitiæ iure omnia, sibi communia futura esse non ambigo. Ad illum igitur te remitto, si quid hac re offenderis, qui me tibi reddat excusatiorem.

Tuam erga me voluntatem & promptitudinem animi ad contrahendam mecum sanctiorem necessitudinem in literis tuis perspicio, & libens amplector osculorque. Virum enim dignum te iudicio, quem ego propter eximiam eruditionẽ, qua me quoque adiutum profecisse neutiquã dissimulauero, & propter morum probitatem multorum grauissimorum virorum testimoniis comprobatam, omni amore, fauore ac veneratione prosequar. Verumtamen vt animi mei sensum (sicuti inter bonos viros fieri oporret) ingenue tibi profitear, argumentum, quod tractas in sex illis* libris, quos mihi dono dederas, in totum mihi displicet, vellemque vigilias tuas tantas felicius collocasses, & mecum ineundæ amicitiæ melioribus aut certe minus improbatis auspiciis fuisses vsus. Nam ego nisi certiora afferri videro, quam hactenus videre potui, sententiæ illius vestræ nec patronus nec astipulator esse volo. Et plane mihi vel ex eo maxime persuasum est, causam esse non bonam, quod eam viri tam ingeniosi, tam diserti, tamque omnibus artibus & disciplinis instructi non videamini satis valide tueri ac sustinere. Vidi pleraque omnia, quæ vel ab Oecolampadio, vel à Zvvinglio scripta sunt & edita, didicique omnium hominum omnia cum delectu esse legenda. Et fortasse illud D. Hieronymi de Origine elogium in illos quoque non absurde aliquis detorserit: *Vbi bene, nemo melius &c.* Nosti enim, quod sequitur. Quatenus quidem Papisticos & Sophisticos errores & abusus indicare, conuincere, corrigereque sunt conati, laudo & approbo. Atque vtinam intra fines illos constitissent, neque fruges vna cum zizaniis conculcassent, hoc est, veterum doctorum primorumque in Ecclesia Christi scriptorum authoritatem vna violassent. Nam vt ingenia vestra quantumcunque versaueritis, mihi tamen certe nunquam approbaueritis, nec cuiquam (opinor) æquo Lectori, veteres illos authores in hac controuersia pro vestra facere sententia. Fuistis nimirum in inuestigandis erro-

* *Aphorismorum de cõsideratione Euchar stia.*

roribus plus satis curiosi, & dũ omnia purgare studetis, illic quoque errorem subesse putauistis, vbi nullus fuit. Quando hic certe si error est, iam inde à primordio Ecclesiæ ab ipsis Patribus & viris Apostolicis nobis fuit propinatus. Quod quis pius sustinuerit vel audire, nedùm credere? vt ne quid interim dicã, quod bonus Dominus noster vnice dilectam sponsam suam nunquam in tam pudenda cœcitate tam diu dereliquisset. Quamobrem quum hæc, quam tenemus, Catholica fides de vera præsentia corporis tam apertis ac manifestis scripturis fuerit Ecclesiæ ab initio promulgata, & eadem postea per primos Ecclesiasticos scriptores fideliũ auribus tam clare, tamq; studiose commendata, ne quæso, ne mihi pergatis eam tam bene radicatam & suffultam velle amplius conuellere aut subruere. Satis iam satis tentatum est hactenus. Et nisi super firmam petram fuisset firmiter ædificata, iam dudum cum magnæ ruinæ fragore cecidisset. Dici non potest, quantum hæc tam cruenta controuersia, cum per vniuersum orbem Christianũ, tum maxime apud nos bene currenti verbo Euangelii obstiterit. Vobis ipsis affert ingens periculum, & ceteris omnibus præbet non dicendum offendiculũ. Quocirca si me audietis, hortor & suadeo, imo vos oro, obsecro & in visceribus Iesu Christi obtestor & adiuro, vti concordiam procedere & coire sinatis, in illã confirmandam totis viribus incumbatis, pacemq; Dei tandẽ, quæ superat omnẽ sensum, Ecclesiis permittatis, vt Euangelicam doctrinam vnam, sanam, puram & cum primitiuæ Ecclesiæ disciplina consonam iunctis virib. quam maxime propagemus. Facile vel Turcas ad Euangelii nostri obedientiam conuerterimus, modo intra nosmetipsos consentiamus, & pia quadam coniuratione conspiremus. At si ad hunc modum pergimus ad inuicem contẽdere & commordere, timendum erit, ne (quod dicens abominor) iuxta comminationem Apostolicam ad inuicem consumamur.

Habes, optime Vadiane, meã de tota controuersia illa neutiquam fictam sententiam, vna cum admonitione libera ac fideli. Cui si obtemperaueris, non modo inter amicos, sed etiam vel inter amicissimos mihi nomen tuum ascripsero. Bene Vale.

T. Cantuariens.

FINIS.

KONSERVIERT DURCH
OSTERREICHISCHE FLORENZHILFE
WIEN